MASTER NEGATIVE
NO. 93-81451-4

AUTHOR:

KRAMMER, OTTO

TITLE:

DE PELOPIS FABULA

PLACE:

HALLE

DATE:

1886

Master Negative #

93-81451-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

885 Dissertation
Z8 v.3 Kramer, Otto 1860-
De Pelopis fabula
Halle 1886 pt 1

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE PELOPIS FABULA

PARS PRIOR.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

OTTO KRAMER, 1860-

HARBURGENSIS

HALIS SAXONUM.

TYPIS DESCRIPSIT CAROLUS COLBATZKY.

MDCCCLXXXVI.

De Pelopis fabula, quam copiose enarratam invenies in Fabularum libro qui Jul. Hygini nomen fert cc. 83 et 84, cum viros doctos haud raro in contrarias sententias discedere vidissem, denuo instituta quaestione, ut illis adminicula praeberem qualiacunque ad hanc vel illam levandam difficultatem operam navavi. Quam ob rem investigare conatus sum

I.

Fabula quomodo a scriptoribus Graecis sit tractata.

Et primus quidem Homerus Pelopis mentionem facit in versibus illis de Agamemnonis sceptro notatissimis (Il. II, 102 sq.)

Ἥφαιστος μὲν δῶκε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι,
αὐτὰρ ἄρα Ζεὺς δῶκε διακτόρῳ ἀργειφόντῃ·
Ἑρμείας δὲ ἄναξ δῶκεν Πέλοπι πληξίππῳ,
αὐτὰρ ὁ αὖτε Πέλοψ δῶκ' Ἀτρέϊ ποιμένι λαῶν.
Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπεν πολύαρνι Θυέστῃ,
αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι. [1])

Quod scholiasta ad v. 104 exponit Venet. A. B. Pelopi *πληξίππου* cognomen esse inditum, quia in Asiam rediens, praecipitato in mare Myrtilo auriga, necessitate coactus, ipse functus sit aurigandi munere, argutius videtur esse, quam cui fidem habere possimus. Primum enim non verisimile est, Homeri iam temporibus tam pervulgatam fuisse illam de Pelopis in Asiam reditu fabulam, ut mero illo cognomine in audientium memoriam revocaretur. Deinde nequaquam gloriosum, ut equidem arbitror Agamemnonis proavi poeta commemorasset facinus, si hoc loco re vera aurigam sui ipsius significasset illum. Quare reicienda videtur haec scholiastae sententia.

Contra sunt, et plurimi quidem ac doctissimi homines,

---

[1]) De versu qui sequitur suspecto cf. Bergk, Litt. Graec. I, p. 548.

qui cum scholiasta nimiam Homero tribuat fabulae notitiam, eam poetae plane abiudicent. Cum enim quid a poeta dicendum, quid reticendum fuerit penitus perspectum habere sibi videantur, partim quod Lydiam, Pelopis patriam, Priami regno, a Pelopidis bello Troiano devastato, finitimam ne uno quidem verbo attingit[1]) partim quod inter Iliadis tot priscorum heroum laudationes a nullo, ne a garrulo quidem Nestore Pelopis commemoratur facinus[2]), fabulam Homericis temporibus omnino nondum cognitam fuisse praepropere efficiunt. Cum autem certe aliud sit, a poeta non effusius commemorari, aliud prorsus ignorari, priorem Roberti dubitationem refutabunt, speramus, quae de fabula et nascente et crescente usque ad Homeri tempora continuo sumus explicaturi, alter, cum dicat in Il. l. XI, v. 698 sq. l. XXIII, v. 631 sq., aliis eiusdem generis narratiunculis utique debuisse enarrari Pelopis certamen, metuo ut cuiquam haec persuadeat. Ad explendum igitur modo versum cognomen illud Pelopi ut aliis viris fortibus[3]) additum esse viri illi docti opinentur necesse est, neque quidquam aliud significare quam *ἡνιοχικόν*, quo Eustathius verbum illud interpretatus est, i. e. equitem et in universum bellatorem.

Sed de Homeri arte poetica pravam sibi induisse opinionem arbitror, qui in illustrissimae gentis enumerandis auctoribus poetam inania circumspexisse cognomina censent. Desideramus enim hoc loco cognomen, quod Pelopem luculenter Achaeorum regiae stirpis significet auctorem illustrem. Cum autem *πλήξιππον* cognomen Pelopi appositum legamus, non sine consilio id factum esse puto, nec dubium mihi videtur esse, quin poeta, cum inter tot tamque praeclaras heroicae virtutis regiaeque dignitatis significationes hoc unum eligeret admonere voluerit audientes Pelopis certaminis atque victoriae.[4])

Sceptrum deinde regium Pelopi non a Neptuno, cuius praeter ceteros auxilio illum adiutum esse scimus, sed a Jove dari non mirum est si Homericis temporibus regiam potestatem uno ab Jove repeti memineris. Sed Mercurius, cuius e manibus Pelops sceptrum accipit, quid hic sibi velit vulgo non recte intellegi mihi videtur. Ac primum quidem, ne

---

[1]) cf. C. Robertum in A. Kiesslingii et Wilamowitzii Quaest. philol. vol. V, p. 187 not. 35.

[2]) cf. Krahnerum apud Ersch et Gruber, s. v. Pelops. sect. III, vol. 15, p. 283.

[3]) cf. Il. IV, 327, V, 705, XI, 93.

[4]) De epithetis Homericis eorumque vi mythologica etiam post L. Krahii programma De fixis quae dicuntur deorum et heroum epithetis, Regimont. a. 1852 et Duentzeri commentat. in act. philol. conventus. XXI. Lips. 1863 multa adhuc non satis explorata videntur.

Mercurium hoc loco Jovis nuntii munere fungi *διακτόρῳ* i. e. cursori[1]) cognomine indicatum putemus, monendum est, Mercurium nusquam in genuinis Iliadis carminibus hoc officium praestare.[2])

Scholiastae Lips. deinde ad hunc versum adnotatio legitur ita: *Ἑρμοῦ γάρ φασιν αὐτὸν καὶ Καλίκης ἢ διὰ τὸν κύνα. πέπλασται οὖν τοῖς νεωτέροις τὰ περὶ Οἰνόμαον καὶ τὴν χρυσῆν ἄρνα.*

Quam sententiam non integram nobis esse traditam apparet.[3]) Quare Ed. Schwartzius post ἢ aliud matris nomen excidisse, verbis autem quae antecedunt Myrtili parentes nominari censuit.[4]) Sed quamvis notum sit, Mercurium et aliorum et Myrtili patrem fuisse habitum, tamen Schwartzii interpretatio non tam certa mihi videtur esse. Ut enim omittam quod inter matris nomina Calycae nomen ceteroquin non invenimus[5]), intellegere me non posse fateor, qua de causa scholiasta Myrtili originem proponere debuerit, cum neque poetae verba haec expetant, et, si fabulam de Oenomao deque agno aureo a recentioribus effictam esse dicit, etiam Myrtili fabulam ab Homero prorsus alienam eundem putasse manifestum sit. Quid vero, si illa genealogia, a vulgata sane diversa explanari voluit, cur Mercurius Pelopi i. e. pater filio sceptrum tradiderit. Etenim non ita mirum mihi videtur, fuisse qui, cum Pelopem Graeciae indigenam existimarent[6]) simplicissima hac ratione dei in Pelopem favorem se explicasse putarent. Calycen autem, Aeoli filiam uxorem fuisse Aëthlii, primi Eleorum regis[7]) traditum legimus[8]), ita ut Pelops dei auxilio illi regno succedat. Aëthlium autem non antea fictum esse puto Eleorum regem, quam ad Eleos delata fuit ludorum Olympiacorum cura, totamque hanc Pelopis genealogiam sane Homero fuisse ignotam.

Quae autem subsequuntur scholiastae verba *διὰ τὸν κύνα* mea quidem sententia finem faciunt copiosae de nomine *ἀργειφόντῃ*, hic primum in Iliadis carminibus nobis obvio, adno-

---

[1]) cf. Curtius, Etymol. p. 399. L. Meyer, Gram. comparat. II, 360.

[2]) *Πομπός* demum in Il. l. XXIV, vv. 153, 182, 437, 461, 681 nominatur. cf. Odofr. Mueller, Mythol. prol. p. 355.

[3]) Quod neglexisse mihi videtur B. Starkius cum (Niobe u. die Niobiden p. 416, not. 6) et interpunctione et uno verbo mutatis scriberet: *Ἑρμοῦ γάρ φησιν αὐτὸν καὶ Καλύκης· ἢ διὰ τὸν κύνα πέπλασθαι, ὡς τοῖς νεωτέροις τὰ περὶ Οἰνόμαον καὶ τὴν χρυσῆν ἄρνα.*

[4]) cf. Fleckeis. ann. suppl. vol. XII (a. 1881) p. 431 sq.

[5]) Scholl. Apoll. Rh. I, v. 752 et Eur. Or. v. 999: Phaetusa vel Clymena vel Myrto. Tzetz. ad Lycophr. v. 52: Cleobule.

[6]) cf. p. 7.

[7]) cf. Paus. V, 1, 3.

[8]) Apd. I, 7. 4. 5. schol. Ap. Rh. IV, 57.

tationis, qua fortasse propositae erant veterum de illo cognomine sententiae, non minus scilicet quam quae hodie proferuntur discrepantes, quarum extrema commemoravit, ut videtur, Mercurium ab Argo interfecto cognomen illud accepisse.

Haud melius rem expedire mihi videtur Prellerus[1]) cum dicat Mercurium deum hoc loco translate significare multitudinem boum atque pecudum, quibus abundaverit regia Pelopidarum domus. Quis enim credat, Graecos in his poetae versibus de Pelope ovibus Mercurii gratia locupleti cogitasse, praesertim cum non tam gregibus, quam auro argentoque divitem Graeci eum semper praedicarent.[2]) Talia igitur si poetae in mente fuissent, non dubito quin Mercurio huic sententiae magis idoneum dedisset cognomen veluti dator bonorum (*δώτωρ ἐάων*) vel salutifer (*ἐριούνιος*).

Quae cum ita sint, Mercurium, quem antiquitus per totam Pelopis insulam summe cultum esse scimus, iam Homericis temporibus illustrissimi insulae regis creditum esse fautorem atque adiutorem persuasum habeo, cui postea substitutus est Myrtilus, quem prorsus eundem esse atque Mercurium Myrteum, sive myrtis coronatum[3]) iam recte animadvertit R. Voelckerus.[4])

Cum versu sequente Pelopem ipsum dedisse Atreo sceptrum poeta narret, inimicitias inter patrem ac filios illis temporibus nondum fabulis fuisse cognitas apparet. In Homeri Odyssea neque de Pelopis genere neque de fatis quidquam traditum legimus. Nam qui in Necyiae parte interpolata, quam sexto a. Chr. saeculo ab Orphicorum quodam libro undecimo insertam esse censet vir doctissimus Wilamowitzius[5]) de Tantalo leguntur versus 582—592 cum modo versentur in illius poena enarranda, ad Homericam de Pelope fabulae naturam investigandam nihil valent.

Jam quaerendum est, quomodo fabula usque ad aetatem Homericam propagata sit. Quod nobis ita fere factum esse videtur:

Cum Oxylus, ut fama fert, Aetolorum dux[6]) apud Naupactum Dorienses in meridianam Graeciae partem transduxisset, ipse partem, eius terrae quam habitabant illis temporibus

---

[1]) cf. Philol. I, p. 513 sq.

[2]) cf. Thuc. I, 9. Isocrat. V, 144. Plut. Thes. c. 3. Anth. IX, 670.

[3]) cf. Odofr. Muellerum apud Ersch et Gruber s. v. Pallas Athene § 7. Aurigae nomen *Μύρτιλος* non *Μυρτίλος* ut multi perperam scripserunt legi debet. cf. A. Fick, Graec. nom. pers. p. XVIII.

[4]) Japeti gent. mythol. Giessen. 1824, p. 360.

[5]) cf. eiusdem Quaest. philol. v. VII, p. 199 sq.

[6]) In altera Oxyli nominis parte A. Fickio (Graec. nom. pers. p. LV) latere videtur verbum substantivum *λάος*.

Epei, Aetolorum consanguines suae dicionis fecisse dicitur[1]) adiuvante Agorio[2]), Damosii Orestidae filio, Helicensi cum Achaeorum manu quorum gentem iam multo ante e Phthia profectam septentrionalem Peloponnesi oram navibus accessisse traditur apud Strabonem VIII, p. 345, 365. Hi autem Achaei, postquam in dextera Alphei fluminis ripa novas paraverunt sedes, cum aliis rebus, tum gentis suae nobilitatem praedicando dominationem suam iis quos subegerant quasi iustam et antiquitus stabilitam fingere studebant. Quam ob rem divulgatas quas ex subactis audiebant de Phoenicibus Cretensibusque per mare advectis fabulas callide cum ipsorum fabulis gentiliciis conectentes, Pelopem faventibus Neptuno, quem Achaei Helices antiquitus venerabantur[3]) et Mercurio in Elidem pervenisse regnoque ibi decertando esse potitum, deinde autem in alias decessisse terras, ita ut haec posterorum illius invasio videretur quasi nova[4].) Curruum deinde certamina, quorum erant amantissimi instituisse videntur in Pelopis honorem[5]) quem videlicet equis certantem (*πλήξιππον*) potitum esse Pisae imperio praedicabant, quod deinceps qui ab illo originem ducerent reges latius propagassent.

Talia fere de hac fabula Homericis temporibus divulgata fuisse censeo.

Unde autem terrarum advenerit Pelopidarum princeps, iam tum alii aliter iudicasse videntur. Fuerunt enim qui illum non e terra aliqua longe remota, sed ex media Achaia in Pisatidem finitimam invasisse crederent teste Autesione incerti temporis scriptore[6]) qui Pelopem Achaeum nominat ex urbe Oleno antiquissimis iam carminibus celebrata[7]) quam post maris transgressum secundum litus Patrense proficiscentes[8]) primam fortasse Achaei occupati sunt.

---

[1]) Paus. verba (V, 4, 2.) *τήν τε βασιλείαν ἔσχεν Ὄξυλος καὶ Ἐπειοὺς τοὺς ἀρχαίους τὰ μὲν ἄλλα εἴασεν ἐπὶ τοῖς αὐτῶν μένειν, συνοίκους δέ σφισι τοὺς Αἰτωλοὺς ἐπὶ ἀναδασμῷ τῆς χώρας ἐπεισήγαγεν* repugnant iis quae Ephorus apud Strab. VIII, p. 357 tradit de expulsis priscis occupatae regionis incolis.

[2]) Deest hoc nomen apud Papium. Optime autem Agorius vocabatur qui exercitui viam praeiit. cf. Hesych. *ἄγορος· ἄθροισμα, στρατὸς ἢ καὶ δημηγόρος.*

[3]) cf. Il. VIII, 203. Diod. 15, 49. Paus. 7, 24, 4. Aelian. N. H. 11, 19.

[4]) cf. Strab. VII, p. 321. E. Curtius, Pelopon. II, p. 47.

[5]) cf. K. F. Hermann, Antiqu. sacr. § 30. 3.

[6]) cf. Schol. Pind. Ol. I, 37. C. Mueller, Fragm. hist. Graec. IV, p 345.

[7]) cf. Welcker, Cyclus ep. II, p. 329. E. Curtius, Pelopon. I, p. 428 sq.

[8]) Ficta sunt quae Paus. V, 4. 1 et Polyb. IV, 70. tradunt, Doriensium agmen a fraudulento Oxylo per Arcadiae montes devios ductum esse.

Fuerunt alii, qui cum meminissent, Achaeos priusquam in Peloponnesum transgressi essent, incoluisse terram Phthiotidem, hanc fuisse Pelopis patriam arbitrarentur. [1]) Sed non multum valuisse has opiniones colligere licet, quod una cum totius gentis Achaicae sorte immutata de Pelope quoque fabula aliam induit formam.

Cum enim iam ante Doriensium adventum foedere illo Calauriensi inter maritumas urbes Ionicas contra Achaeos icto (Strab. p. 373, 374.) magis magisque Pelopidarum regnum labefactatum deminutumque esset, ita ut Dorienses advenae exiguas modo illustrissimae gentis reliquias prope Helicen possent invenire[2]) Pisae quoque Achaei, quos primis temporibus nominis sui gloria civiumque viribus parem Aetolis locum obtinuisse putandum est, Eleorum cum Doriensibus foederatorum vexationibus debilitati Olympiorum amiserunt curam,[3]) quae nova instituerunt Aetoli, deinde Dorienses, quo etiam factum esse existimo, ut non Pelops[4]) sed Hercules primus ludos illos fecisse praedicaretur.[5])

Postremo, cum Achaei undique premerentur, una cum aliarum gentium profugis ab Aulide Euboeam insulam deinde Thessaliam Thraciamque navibus praetervecti, tandem a Cyzico pedestri agmine Mysiam Lydiamque terras occupaverunt, unde postea Lesbum insulam fecerunt suam.[6]) Pelopem autem in his quoque regionibus conditorem pronuntiabant[7]) et in insula Lesbo eandem de equorum certamine Pelopisque

[1]) cf. Strab. VIII, p. 365. *Ἀχαιοὶ οἱ Φθιῶται συγκατελθόντες Πέλοπι εἰς τὴν Πελοπόννησον.* cf. p. 383, 429.

[2]) cf. E. Curtius, Hist. Graec. I[4], p. 88 sq. Qud dicit vir illustrissimus in Achaeorum fabulis adeo non narratas esse tales maritumorum in Achaeos inimicitias, ut contra apud Homerum Agamemno et terram et insulas summa regat potestate, iam Bergkius monuit, versum Il. II. 108 esse spurium; deinde quae in Odysseae carmine quarto v. 517 sq. de Thyesta et Aegistho narrantur tales inimicitias produnt fortasse. cf. etiam Wilamowitzium, Quaest. philol. vol. VII, p. 157.

[3]) cf. Ephor. fr. 15 (Mueller, Fragm. H. Gr. I, p. 236.) *Παραλαβεῖν δὲ (τοὺς Αἰτωλοὺς) καὶ τὴν ἐπιμέλειαν τοῦ ἱεροῦ τοῦ Ὀλυμπίασιν, ἣν εἶχον οἱ Ἀχαιοί* quae ultima verba sine iusta causa G. Kramerus (ad Strab. p. 144, 17) emendare voluit in *οἱ Ἐπειοί.*

[4]) Olympia qui primi fecerunt Phlegon Trallianus in opere suo chronologico *Ὀλυμπιονικῶν καὶ χρονικῶν συναγωγή* (Phot.) sive *Ὀλυμπιάδες* (Steph. Byz.) enumerat Pisum, tum Pelopem, deinde Herculem (cf. Mueller, Fragm. H. Gr. III, p. 603, 1.)

[5]) Pind. Ol. II, 3. XI, 25 sq. Strab. VIII, p. 354. Polyb. XII, 262 alii.

[6]) cf. E. Curtius, Hist. Graec. I[4], p. 112.

[7]) cf. Pompon. Mela I, 18.

imperio fabulam videntur narravisse, qua usi iam erant in subicienda Pisatide[1]) Quare quam genuinam fabulae formam ex scholio Monac. ad Euripidis Or. v. 990[2]) indagasse sibi visus est vir doctissimus C. Robertus recte explicatam esse negamus. Oenomaum enim priscum Arcadiae et Pisae regem tota clamat antiquitas, Lesbios autem omnia quae de certamine illo enarrata audiebant, sedulo in insulam suam transtulisse optime demonstratur Cillae sive Cilli aurigae nomine, quod sumptum Cilla ab urbe Lesbia simul apte aurigae officium illis haud dubio indicare videbatur.[3])

Fabulis de Atridarum contra Troianos facinoribus eorumque in Graeciam reditu exhaustis, de prisca origine gentis altiora quaeri coeptum est. Et, sive Achaei per tantum temporis spatium veteris cognationis et suae ipsorum et Lydorum gentis [4]) memoriam retinuerant, sive eadem quam supra cognovimus ratione in conectendis et contexendis fabulis iterum sunt usi: Pelops exinde quoad nunc quidem iudicari potest primum in S t a s i n i   C y p r i i s vocatus legitur filius Tantali, Lydorum regis et potentissimi et ditissimi.[5])

Iam singulis variandis exornandisque viguit Graecorum fama.

Et Achaei quidem qui ad Alpheum flumen remanserant, nequiquam aliorum populorum imprimisque Phidonis Argivorum regis auxilio Olympiae priorem rerum statum reficere principatumque recuperare conati sunt.

Nam id solum videntur adsecuti esse, ut inde ab Olympiade XXV quadrigarum certamina instituerentur. Sed hic nobis adversatur vir doctissimus Dunckerus, cum dicat, Pelopem *πληξίππου* cognomen accepisse ab hoc fortasse Olympiarum

[1]) cf. E. Curtium, 1 l. p. 117: Es ist nämlich eine Eigenthümlichkeit der Hellenen, welche bei allen erobernden Wanderzügen wiederkehrt, dass sie bei den Erwerbungen neuer Wohnsitze nicht bloss das Recht des Stärkeren, sondern auch eine Art Erbrecht geltend zu machen wussten.

[2]) *ὁ Οἰνόμαος ἐβασίλευσεν ἐν τῇ Λέσβῳ, εἶχε δὲ καὶ ἵππους ταχεῖς, οὓς οὐδεὶς ἐνίκησεν εἰ μὴ ὁ Πέλοψ. εἶχε δὲ ὁ Πέλοψ ἡνίοχον τὸν Κύλλαν.* cf. C. Robertum, l. l.

[3]) Eust. *κέλλω: τὸ βαδίζω*, quare optime Papius vernacule nomen vertit „Trabert". Aliam sane miram protulit B. Starkius (Niobe p. 416) explicationem, cum de hoc nomine diceret: „der die zeugerische Natur des Esels in sich darstellt." Cum Troizenii, apud quos propria quaedam de Pelope narrabantur aurigam nominarent Sphaerum (Paus. V, 107. II, 33, 1) similem videntur denominandi rationem secuti esse.

[4]) cf. E. Curtium, l. l. p. 70 sq.

[5]) cf. Duentzer, Fragm. ep. Gr. XI, 8. Welcker, Cycl. ep. II, p. 515, 9.

quadrigarum certamine[1]) ita ut hinc demum originem ceperit tota fabula.

Quod si ita esset, Cypseli cistae artifex circa Ol. X.[2]) fabulam finxisset, quae, ut ille putat, ante Ol. XXV omnino nondum innotuit! Vides igitur, quam futilis sit illa Dunckeri sententia.

Dorienses autem, cum aegre ferrent, gentem suam belli gloriae cupidissimam in rhapsodorum carminibus turpi silentio esse obrutam, Achaeorum vero, quorum sedes post bella diuturna ipsi occupaverant, et Pelopidarum facinora per totam Graeciam eximia laude extolli, alii alia gloriae remedia adhibebant.[3])

Et de Pelope quidem, quomodo fabula paulatim inquinata sit, singulatim persequi non possumus. Tenemus autem, eam et mutatam et auctam esse in illis praesertim regionibus, ubi ludi Olympii per quadriennium summo cum splendore redintegrati Pelopis memoriam obsolefieri minime sinebant.

Totum iam Pelopis cum Oenomao certamen cognitum habuit qui non multo post Ol. 39,1. (a. 624 a. Chr.) conscripsit magnas quas dicunt Eoeas. Quarum in alterius partis, quam seorsim Catalogi tulisse nomen arbitror, libro secundum Ad. Kirchhoffium tertio legebatur fabula, ex qua summatim affert Pausanias (VI. 21. 9) haec:

Ἀπέθανον δὲ ὑπὸ τοῦ Οἰνομάου κατὰ τὰ ἔπη τὰς μεγάλας Ἠοίας Ἀλκάθους ὁ Πορθάονος, δεύτερος οὗτος ἐπὶ τῷ Μάρμακι[4]) *μετὰ δὲ Ἀλκάθουν Εὐρύαλος καὶ Εὐρύμαχός τε καὶ Κρόταλος. Τούτων μὲν οὖν γονέας τε καὶ πατρίδας οὐχ οἷά τε ἦν πυθέσθαι μοι· τὸν δὲ ἀποθανόντα ἐπ' αὐτοῖς Ἀκρίαν τεκμαίροιτο ἄν τις Λακεδαιμόνιόν τε εἶναι καὶ οἰκιστὴν Ἀκριῶν. Ἐπὶ δὲ τῷ Ἀκρίᾳ Κάπετόν φασιν ὑπὸ τοῦ Οἰνομάου φονευθῆναι, καὶ Λυκοῦργον, Λάσιόν τε καὶ Χαλκώδοντα καὶ Τρικόλωνον. Ἀπόγονον δὲ αὐτὸν εἶναι καὶ ὁμώνυμον Τρικολώνῳ τῷ Λυκάονος λέγουσιν οἱ Ἀρκάδες. Τρικολώνῳ δὲ ὕστερον ἐπέλαβεν ἐν τῷ δρόμῳ τὸ χρεὼν Ἀριστόμαχόν τε καὶ Πρίαντα, ἔτι δὲ Πελάγοντα, Αἰόλιον καὶ Κρόνιον.* Quae enumerandi ratio iam per se ipsam demonstrare mihi videtur carmen epicum a Pausania non fuisse inspectum, cum in reperiendo genere ac patria necatorum qua de re carmen illud prorsus tacuisse credi non potest, exegetas, sive scriptores[5]) sive templi Olympii custodes adiret.

---

[1]) cf. M. Duncker, Hist. antiqu. III, p. 146, 599 sq.

[2]) cf. Overbeck, Hist. Graec. art. plast. I[3], p. 56.

[3]) Vide quae de tota hac fabularum per Dorienses immutatione scite disputat C. Robertus in libro saepius iam laudato seorsim inscripto „Bild und Lied" p. 188 sq.

[4]) cf. VI, 21, 7.

[5]) cf. Hirt, De fontibus Paus. in Eliacis. Diss. inaug. Gryphisw. 1878, p. 37.

Et ex alio quodam fonte scripto addidit: *οἱ δὲ καὶ ἐπαριθμοῦσι τοῖς κατειλεγμένοις Ἔρυθρον παῖδα Λεύκωνος τοῦ Ἀθάμαντος (ἀπὸ τούτου Ἐρύθραι πόλισμα ἐκαλεῖτο Βοιωτῶν) καὶ Ἠιονέα Μάγνητος τοῦ Αἰόλου.*

Sed etiam numerum Hesiodeum non servavit Pausanias. Affirmatur enim a scholiasta ad Pind. Ol. I, v. 127 poetam non sedecim, quot enumerat Pausanias *κατὰ τὰ ἔπη* sed tredecim modo attulisse procorum nomina, cum ille totidem allatis nominibus pergat *τούτῳ τῷ ἀριθμῷ τῶν ἀπωλολότων μνηστήρων καὶ Ἡσίοδος καὶ Ἐπιμενίδης συμμαρτυρεῖ.* Sed cum, quot nominati fuerint proci in Eoearum carmine dubitari nequeat, genuina eorum nomina, quomodo ex quinque diversis qui exstant catalogis [1]) restituenda sint, nullo modo enucleari posse dixit Fridericus Ritschelius.[2]) Wesselingius autem ad Diod. IV, 73 censuit, scholiastae nomina corrupta e Pausania esse refingenda. Aliter Klausenus, omnibus neglectis veterum testimoniis, Hesiodum plus tredecim novisse procos contendit.[3]) Sed ne scholii quidem catalogus *α* vera et incorrupta exhibere tredecim illa nomina iam eo indicari mihi videtur, quod scholiasta modo numero, non nominibus ipsis cum Hesiodo et Epimenide[4]) congruere se profitetur.

Singillatim autem examinatis uniuscuiusque testis nominibus tredecim procorum seriem si non veram attamen quam fieri potest veri simillimam restituere nos posse speramus.

Ac primum quidem quos affert Pausanias *Ἐρύθραν παῖδα Λεύκωνος τοῦ Ἀθάμαντος καὶ Ἠϊονέα Μάγνητος τοῦ Αἰόλου* praemissis verbis *οἱ δὲ ἐπαριθμοῦσι τοῖς κατειλεγμένοις* in nullo praeterea catalogo leguntur et genuinis non interfuisse elucet. Item ceteris deest *Κάπετος* Pausaniae, *Λυκοῦργος*[5]) autem (Paus, *β*) et *Κρόνιος* (Paus, *δ*) adsumpti videntur ex mythographo quodam, qui nimirum nobilissimis his inter res Olympias nominibus admixtis procorum catervam et ampliorem et celebriorem se reddere fortasse arbitratus est. Quibus reiectis

---

[1]) Praeter Pausaniam in quaestionem vocanda est nominum series quadruplex schol. vet. ad Ol. I, 127 quam litterarum ordine distinguo *α, β, γ, δ*. Cum *α* plane consentit nominum catal. schol. rec. ad Ol. I, 114 et Eudoc. Viol. p. 314 *περὶ Οἰνομάου.*

[2]) Opuscul. minor. I, p. 795. Cf. etiam A. Kalkmann, Paus. d. Perieget. Berol. 1886, p. 257 sq.

[3]) Apud Ersch et Gruber III, 2, p. 98.

[4]) Epimenidem suspicari modo possumus, in opere quod vulgo ei vindicatur *Ἀργοῦς ναυπηγία τε καὶ Ἰάσονος ἐς Κόλχους ἀπόπλους* (Schol. Eur. Phoen. 13, Boeckh. Explicat. Pind. p. 169) in imitatoris morem quae Apoll. Rh. I, 752—758 strictim commemoravit copiose enarrasse.

[5]) *Λυκούριος* Eudociae l. l. corruptum est.

restant apud Pausaniam tredecim nomina quorum *Πρίας* idem mihi videtur atque *Πείρας* catal. β.[1]) Simili modo *Ἀκρίας* corruptum legitur pro *Ἀκαρνάς* (α, β, γ), Calami autem vitio scriptum est *Κρόκαλος* (α, β) pro *Κρόταλος*[2]) (Paus) item *Τρικόρωνος* (α, γ, δ) pro *Τρικόλωνος*[3]) (Paus.). Exhibent deinde periegeta *Αἰόλιος*, catal. γ et δ *Αἴολος*, catal β autem *Αἰολοπεύς*. Sed cum scholiorum cod. Vrat. in nomine Aeolii consentiat Pausaniae, hoc nomen iam Boeckhio rectius est visum.[4]) Pausaniae *Πελάγων* reperitur in δ, cuius loco α et γ nominant Pelopem Opuntium.[5]) Hoc autem nomen quod epici carminis esse negaverim ansam videtur dedisse scholiastae ad Eur. Or. v. 990. C. ut, cum Pelopem illum non Opuntium quendam sed Tantali filium esse arbitraretur, duodecim modo procos ab Oenomao necatos esse diceret.[6])

Qua de causa pro suspecto hoc nomine malo Pausaniae Pelagonis nomen, quod etiam litteris *ΠΕΛΑΓ* proci capiti superscriptum legimus in amphora Rubiana alio loco accuratius describenda.[7]) Nomen deinde *Χάλκων* (α, β, γ) falso pro Pausaniae *Χαλκώδων* scriptum esse arbitratus est Papius.[8]) Porro *Εὐρύχολος* (γ) ex *Εὐρύλοχος* (α) corruptus est. Cui praeferendum videtur quod tradunt Paus. et catal. β *Εὐρύαλος*. Nomen *Μάρμαξ* Eleorum formatum esse lingua ex Paus. Eliacis colligi licet; Eoearum fortasse fuit *Μέρμνης*, ut in catal. α et β legitur, quod mutavit γ in *Μέρμνων*, schol. Ol. I, 114 autem in *Μέρμνος*. Restant *Εὐρύμαχος* Paus. qui idem legitur in α, β, γ; *Ἀλκάθους* Paus. et α, β, γ; *Ἀριστόμαχος* Paus. et α, γ, δ.

Qua ex computatione efficitur, Pausaniae in nominibus ipsis maximam esse fidem habendam, cum decem nomina servasse videatur genuina, Pindari autem scholiastam item non inspexisse Eoeas, sed fabularum modo compendium quoddam. Procorum autem nominum proponimus hanc tabulam plus minusve Hesiodeam: *Μέρμνης, Ἀλκάθους, Εὐρύαλος, Εὐρύμαχος, Κρόταλος, Ἀκαρνάς, Λάσιος, Χαλκώδων, Τρικόλωνος, Ἀριστόμαχος, Πείρας, Πελάγων, Αἰόλιος.*

Quomodo praeterea fabula in Eoeis tractata sit, dici non potest, nec, utrum in illis equorum alatorum opera an Myrtili dolo Pelops de Oenomao victoriam reportaverit.

---

[1]) cf. Pape, Nom. propr. s. v.
[2]) cf. Theophylact. ep. 10, 16. (Meurs.)
[3]) cf. Paus. VIII, 3, 4.
[4]) Ad schol. Ol. I, 127, adnot. 3.
[5]) Corruptum apud Eudoc. l. l. traditur *Πέλοψ ὁ Πόντιος*.
[6]) Nisi forte suspicaris, illo loco numerum *ιγ'* in *ιβ'* esse corruptum.
[7]) cf. A catalogue of the Greek and Etruscan vases in the British Museum. London 1870. vol. II, no 1429.
[8]) Graec. nom. propr. s. v.

Hunc autem Myrtili dolum Alcmaeonidis poetam, quem post annum DC vixisse demonstravit U. de Wilamowitzius[1]) compertum habuisse inde licet colligere quod enarravit, Mercurium de Myrtili filii caede iratum inter Atrei greges misisse arietem illum aureum.[2]) Qua ex re id nostro iure concludimus, Myrtilum necatum esse a Pelope, neque alia huius necis potest inveniri causa, qam quod Pelops Oenomai aurigam, a se ipso corruptum, ideoque sceleris iniquum admonitorem sustulit. Unde sequitur, etiam procorum vana conamina eorumque interitus poetae fuisse nota. Cum autem qui Myrtili dolum enarravit non idem cecinisse possit de antiquissimae scilicet fabulae auxilio Neptuni per equos alatos, illius iam temporis poetas id agere videmus, ut Pelopem ex deorum amico virum faciant scelestum atque dolosum. Neptuni autem equi fabulosi, quos omnibus notatissimos, non prorsus omittere licuit, alia deinde in re erant adhibendi. Et ita quidem fabulam illam exstitisse opinor de Pelopis quadrigarum per mare in patriam reditu.

Sed quo loco, quo ambitu, quo sententiarum nexu Alcmaeonidis poeta fabulam tractaverit, ne coniici quidem potest, cum multae ac variae fabulae illi carmini intextae fuisse videantur[3]) quas poeta vel uberius vel brevius pertractavit; neque ex eo, quod poeta non alienum putavit pastoris qui arietem illum aureo vellere praeditum Atreo tradidit nomen afferre[4]) simul probari potest, eum in Myrtili nece enarranda fusiorem fuisse.

Quod deinde attinet ad poetas et elegiacos et iambicos, maiore etiam laboramus testimoniorum penuria. Et Tyrtaeus quidem cum caneret de Lacedaemoniorum contra Messenios Eleosque et Pisatas, socios eorum proeliis[5]) haud inepte commemorare potuit Pelopis fabulam. Sed quod nobis servatum est fragm. 12 v. 7. eximiam modo poetae de Pelope rege opinionem, de fabula autem ipsa nihil prodit.

Quae vero de fabulis Hesiodeis a Stesichoro et exceptis et propagatis, quem Graeci ex hac Hesiodeorum carminum retractatione filium dixerunt Ascraei, disseruit vir doctissimus Robertus[6]) num de nostra hac valeant fabula, ex

---

[1]) Quaest. philol. vol. VII, p. 72, no. 2.
[2]) Teste Dionys. Scytobrach. in schol. ad Eur. Or. v. 997, 998.
[3]) cf. Fr. Wüllner, De cyclo epico. Monast. a. 1825, p. 49. Welcker, Cycl. ep. II, p. 389.
[4]) Schol. Eur. Or. l. l. *ὁ δὲ τὴν Ἀλκμαιωνίδα γράψας τὸν ποιμένα προσαγαγόντα τὸ ποίμνιον τῷ Ἀτρεῖ Ἀντ* .... (suppl. Bentlejus, Ep. ad Mill. p. 17. *Ἀνταῖος* sive *Ἄντανδρος*) *καλεῖ*.
[5]) cf. Bergk, P. lyr. gr. II[4], fr. 8.
[6]) l. l. p. 189. Quod Stesichorus non ita raro consentit cum

illius carminum fragmentis pro certo affirmari non potest, nisi quod ad illius *νόστους* vel Orestiam referenda videntur, quae Hellanicus apud schol. Il. II v. 105 de Chrysippo narrat Hippodamia noverca suadente ab Atreo et Thyesta fratribus interfecto. Ceterum de Hippodamiae et Pelopis amore Stesichorum cecinisse haud incredibile videtur, cum illum carmina epithalamia et in deos (fr. 63 de Daphnide et Apolline) et in homines (fr. 43 de Calyce et Euathlo, fr. 44 de Rhadina et Leonticho) composuisse constet. Et in tali carmine Pisa, Hippodamiae patria, urbs ab illo optime nominari potuit[1]) Praeterea Stesichorus primus fuisse videtur, qui Hippodamiam tanto Pelopis amore inflammatam dixit, ut Myrtilum ad dolum illum perfidum corrumperet.[2]) Quem autem inter fragmenta incerta no 49 posuit Bergkius versum a scholiasta ad Il VI, 507 servatum.

Κοιλωνύχων ἵππων πρύτανις Ποσειδάν

ad Pelopem refero „*ἐπὶ θάλατταν ἥκοντα, ὡς εὔξαιτο τῷ Ποσειδῶνι κατὰ τοῦ Οἰνομάου, - - - καὶ εὐχομένῳ τῷ Πέλοπι ἥκει χρυσοῦν ἅρμα ἐκ θαλάττης.*“ (Philostr. im. I, 30).[3]) Negari enim non potest versum illum optime poni posse in talium precum initio.

Cum autem ex iis quae adhuc protulimus eluceat, Neptunum Pelopis existimatum fuisse fautorem atque tutorem, non miramur, hanc inter deum et adolescentem familiaritatem poetis ab amore conciliatam esse visam. Et Ibycus, quem talia carminibus celebrasse notum est, cum Pelopidarum domus notitiam ostentet diligentem (fr. 48) ut de Alphei amore in Arethusam (fr. 23) de Apollinis in Cassandram (fr. 9) de Lunae in Endymionem (fr. 44) de Iovis in Semelen (fr. 15) de Talonis in Rhadamanthum, de Iovis in Ganymeden eiusque in caelum raptu (fr. 30) ita etiam de Neptuni cum Pelope consuetudine cecinit fortasse.

Jam, quae usque et epicis et elegiacis et melicis carminibus de Pelope circumlata fuerunt pedestri oratione perscripsit Pherecydes Syrius. Qui Pelopem nominavit Tantali et Clytiae Amphidamantis filium.[4]) Multus deinde

Pherecyde, falso Odofr. Muellerus (Dor. I, p. 426) inde repetivit quod poeta ex hoc sua hausisset. Uterque enim diligenter Hesiodi vestigia legit.

[1]) cf. Strab. VIII, p. 356. *Στησίχορον δὲ καλεῖν πόλιν τὴν χώραν Πίσαν λεγομένην, ὡς ὁ ποιητὴς τὴν Λέσβον Μάκαρος πόλιν.*

[2]) cf. schol. Apoll. Rh. I, v. 752.

[3]) cf. Pind. Ol. I, v. 73 sq.

[4]) cf. schol. B. M. ad Eur. Or. v. 11: *ἐξ Εὐρυθεμίστης τῆς Ξάνθου, ἢ Κλυτίας τῆς Ἀμφιδάμαντος ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης (ἐν ι', Ἑλλάνικος* suppl. Dind.) *δὲ ἱστορεῖ ἐξ Εὐρυαννάσης τῆς*

fuisse videtur in enarrando funesto illo certamine, in quo Myrtilus fraudulenter Oenomaum rotarum circumactu necavisset, cuneis amotis ex currus axe. Leguntur enim in schol. Apoll. Rh. I, 752 haec: *Ὡς δὲ ἀφίκετο καὶ Πέλοψ ἐπὶ τὸν ἆθλον μετὰ ἵππων δεδομένων αὐτῷ ὑπὸ Ποσειδῶνος, ἐρασθεῖσα ἡ Ἱπποδάμεια Πέλοπος πείθει Μύρτιλον, τὸν υἱὸν Ἑρμοῦ, ἁρματοποιὸν δὲ καὶ ἡνίοχον Οἰνομάου ὥστε καταστροχίσαι Οἰνόμαον, ἐμβαλόντα τὸν ἔμβολον ὡς Φερεκύδης ἱστορεῖ.* Quae verba ultima corrupta esse et ex sensu apparet et ex Eudociae viol. narratione *περὶ Οἰνομάου* (p. 314) ubi fabula ex hoc ut videtur scholio hausta[1]) legitur ita: *Ἐλθόντος δὲ τοῦ Πέλοπος ἐπὶ τὸν ἆθλον μετὰ ἵππων δεδομένων αὐτῷ ὑπὸ Ποσειδῶνος, ἐρασθεῖσα ἡ Ἱπποδάμεια Πέλοπος πείθει Μύρτιλον τὸν υἱὸν μὲν Ἑρμοῦ, ἁρματοπηγὸν δὲ καὶ ἡνίοχον Οἰνομάου ἐμβαλόντα κήρινον ἔμβολον ἐπὶ τοῦ ἀκραξονίου, ἢ οὐδ' ὅλως ἐμβαλόντα τὸν ἔμβολον ὡς Φερεκύδης ἱστορεῖ.* Quae quoniam ad verbum paene cum priore loco consentire apparet, negationem *οὐκ* ante *ἐμβαλόντα* in scholio intercidisse opinatus est Guil. Sturzius.[2]) Quae coniectura sine dubio praeferenda esset obliquo illo Eudociae *οὐδ' ὅλως ἐμβαλόντα.* Videntur praeterea defendere Sturzii emendationem quae legimus apud Joannem Tzetzam ad Lycophr. v. 156 *ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους οὐκ ἐμβαλὼν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι.* Attamen Sturzii coniecturam falsam puto quod, cum rotae atque clavi perpetuo inessent axi, minime aurigae fuit, ante unumquodque certamen rotas clavis in curru affigere. Quare non *οὐκ ἐμβαλόντα*, verum *ἐκβαλόντα τὸν ἔμβολον* Pherecydes mea quidem sententia de Myrtilo dixit.[3])

Enarravit praeterea Pherecydes quae post certamen illud acciderunt Leguntur enim apud scholiastam ad Soph. Electr. v. 505 haec: *φησὶ Φερεκύδης, ὅτι Πέλοψ νικήσας τὸν ἀγῶνα, καὶ λαβὼν τὴν Ἱπποδάμειαν ὑπέστρεφεν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον μετὰ τῶν ὑποπτέρων ἵππων καὶ τοῦ Μυρτίλου. Καθ' ὁδὸν δὲ καταλαβὼν αὐτὸν προϊόντα πρὸς τὸ φιλῆσαι αὐτὴν, ἔῤῥιψεν εἰς θάλασσαν.* Unde autem in Peloponnesum reverterit meo quidem iudicio scholio illo ad Eur. Or. v. 990[4]) indicatur quod idem referendum videtur ad hunc auctorem. Restat scholiastae ad

Πακτωλοῦ Τμώλου καὶ Πλουτοῦς υἱὸς ὁ Τάνταλος, Ταντάλου δὲ καὶ Εὐρυανάσσης Πέλοψ.

[1]) Fugit hic sapientiae Eudocianae fons R. Nitzschium cum scriberet Quaest. Eudocian. capita quatuor. Diss. inaug. Lips. a. 1868.

[2]) Pherecydis et Acusilai fragmenta. ed. alt. Lips. 1824. p. 92 sq.

[3]) cf. Eustath. ad Il. II, 104 (p. 183) *τοὺς πασσαλίσκους ἐξελών*; schol. Eur. Or. v. 981 *ἐξέβαλε τοὺς σιδήρους δεσμούς.*

[4]) cf. pag. 9 adnot. 2.

illius carminum fragmentis pro certo affirmari non potest, nisi quod ad illius *νόστους* vel Orestiam referenda videntur, quae Hellanicus apud schol. Il. II v. 105 de Chrysippo narrat Hippodamia noverca suadente ab Atreo et Thyesta fratribus interfecto. Ceterum de Hippodamiae et Pelopis amore Stesichorum cecinisse haud incredibile videtur, cum illum carmina epithalamia et in deos (fr. 63 de Daphnide et Apolline) et in homines (fr. 43 de Calyce et Euathlo, fr. 44 de Rhadina et Leonticho) composuisse constet. Et in tali carmine Pisa, Hippodamiae patria, urbs ab illo optime nominari potuit[1]) Praeterea Stesichorus primus fuisse videtur, qui Hippodamiam tanto Pelopis amore inflammatam dixit, ut Myrtilum ad dolum illum perfidum corrumperet.[2]) Quem autem inter fragmenta incerta no 49 posuit Bergkius versum a scholiasta ad Il VI, 507 servatum.

Κοιλωνύχων ἵππων πρύτανις Ποσειδάν

ad Pelopem refero „*ἐπὶ θάλατταν ἥκοντα, ὡς εὔξαιτο τῷ Ποσειδῶνι κατὰ τοῦ Οἰνομάου, - - - καὶ εὐχομένῳ τῷ Πέλοπι ἥκει χρυσοῦν ἅρμα ἐκ θαλάττης.*“ (Philostr. im. I, 30).[3]) Negari enim non potest versum illum optime poni posse in talium precum initio.

Cum autem ex iis quae adhuc protulimus eluceat, Neptunum Pelopis existimatum fuisse fautorem atque tutorem, non miramur, hanc inter deum et adolescentem familiaritatem poetis ab amore conciliatam esse visam. Et Ibycus, quem talia carminibus celebrasse notum est, cum Pelopidarum domus notitiam ostentet diligentem (fr. 48) ut de Alphei amore in Arethusam (fr. 23) de Apollinis in Cassandram (fr. 9) de Lunae in Endymionem (fr. 44) de Iovis in Semelen (fr. 15) de Talonis in Rhadamanthum, de Iovis in Ganymeden eiusque in caelum raptu (fr. 30) ita etiam de Neptuni cum Pelope consuetudine cecinit fortasse.

Jam, quae usque et epicis et elegiacis et melicis carminibus de Pelope circumlata fuerunt pedestri oratione perscripsit Pherecydes Syrius. Qui Pelopem nominavit Tantali et Clytiae Amphidamantis filium.[4]) Multus deinde

---

Pherecyde, falso Odofr. Muellerus (Dor. I, p. 426) inde repetivit quod poeta ex hoc sua hausisset. Uterque enim diligenter Hesiodi vestigia legit.

[1]) cf. Strab. VIII, p. 356. *Στησίχορον δὲ καλεῖν πόλιν τὴν χώραν Πῖσαν λεγομένην, ὡς ὁ ποιητὴς τὴν Λέσβον Μάκαρος πόλιν.*

[2]) cf. schol. Apoll. Rh. I, v. 752.

[3]) cf. Pind. Ol. I, v. 73 sq.

[4]) cf. schol. B. M. ad Eur. Or. v. 11: *ἐξ Εὐρυθεμίστης τῆς Ξάνθου, ἢ Κλυτίας τῆς Ἀμφιδάμαντος ὡς ἱστορεῖ Φερεκύδης* (*ἐν ι', Ἑλλάνικος* suppl. Dind.) *δὲ ἱστορεῖ ἐξ Εὐρυαννάσης τῆς*

fuisse videtur in enarrando funesto illo certamine, in quo Myrtilus fraudulenter Oenomaum rotarum circumactu necavisset, cuneis amotis ex currus axe. Leguntur enim in schol. Apoll. Rh. I, 752 haec: *Ὡς δὲ ἀφίκετο καὶ Πέλοψ ἐπὶ τὸν ἆθλον μετὰ ἵππων δεδομένων αὐτῷ ὑπὸ Ποσειδῶνος, ἐρασθεῖσα ἡ Ἱπποδάμεια Πέλοπος πείθει Μύρτιλον, τὸν υἱὸν Ἑρμοῦ, ἁρματοποιὸν δὲ καὶ ἡνίοχον Οἰνομάου ὥστε κατατροχίσαι Οἰνόμαον, ἐμβαλόντα τὸν ἔμβολον ὡς Φερεκύδης ἱστορεῖ.* Quae verba ultima corrupta esse et ex sensu apparet et ex Eudociae viol. narratione *περὶ Οἰνομάου* (p. 314) ubi fabula ex hoc ut videtur scholio hausta[1]) legitur ita: *Ἐλθόντος δὲ τοῦ Πέλοπος ἐπὶ τὸν ἆθλον μετὰ ἵππων δεδομένων αὐτῷ ὑπὸ Ποσειδῶνος, ἐρασθεῖσα ἡ Ἱπποδάμεια Πέλοπος πείθει Μύρτιλον τὸν υἱὸν μὲν Ἑρμοῦ, ἁρματοπηγὸν δὲ καὶ ἡνίοχον Οἰνομάου ἐμβαλόντα κήρινον ἔμβολον ἐπὶ τοῦ ἀκραξονίου, ἢ οὐδ' ὅλως ἐμβαλόντα τὸν ἔμβολον ὡς Φερεκύδης ἱστορεῖ.* Quae quoniam ad verbum paene cum priore loco consentire apparet, negationem *οὐκ* ante *ἐμβαλόντα* in scholio intercidisse opinatus est Guil. Sturzius.[2]) Quae coniectura sine dubio praeferenda esset obliquo illo Eudociae *οὐδ' ὅλως ἐμβαλόντα.* Videntur praeterea defendere Sturzii emendationem quae legimus apud Joannem Tzetzam ad Lycophr. v. 156 *ταῖς χοινικίσι τῶν τροχῶν τοὺς ἥλους οὐκ ἐμβαλὼν ἐποίησε τὸν Οἰνόμαον ἐν τῷ τρέχειν ἡττηθῆναι.* Attamen Sturzii coniecturam falsam puto quod, cum rotae atque clavi perpetuo inessent axi, minime aurigae fuit, ante unumquodque certamen rotas clavis in curru affigere. Quare non *οὐκ ἐμβαλόντα*, verum *ἐκβαλόντα τὸν ἔμβολον* Pherecydes mea quidem sententia de Myrtilo dixit.[3])

Enarravit praeterea Pherecydes quae post certamen illud acciderunt Leguntur enim apud scholiastam ad Soph. Electr. v. 505 haec: *φησὶ Φερεκύδης, ὅτι Πέλοψ νικήσας τὸν ἀγῶνα, καὶ λαβὼν τὴν Ἱπποδάμειαν ὑπέστρεφεν ἐπὶ τὴν Πελοπόννησον μετὰ τῶν ὑποπτέρων ἵππων καὶ τοῦ Μυρτίλου. Καθ' ὁδὸν δὲ καταλαβὼν αὐτὸν πρoϊόντα πρὸς τὸ φιλῆσαι αὐτὴν, ἔῤῥιψεν εἰς θάλασσαν.* Unde autem in Peloponnesum reverterit meo quidem iudicio scholio illo ad Eur. Or. v. 990[4]) indicatur quod idem referendum videtur ad hunc auctorem. Restat scholiastae ad

---

Πακτωλοῦ Τμώλου καὶ Πλουτοῦς υἱὸς ὁ Τάνταλος, Ταντάλου δὲ καὶ Εὐρυανάσσης Πέλοψ.

[1]) Fugit hic sapientiae Eudocianae fons R. Nitzschium cum scriberet Quaest. Eudocian. capita quatuor. Diss. inaug. Lips. a. 1868.

[2]) Pherecydis et Acusilai fragmenta. ed. alt. Lips. 1824. p. 92 sq.

[3]) cf. Eustath. ad Il. II, 104 (p. 183) *τοὺς πασσαλίσκους ἐξελών*; schol. Eur. Or. v. 981 *ἐξέβαλε τοὺς σιδήρους δεσμούς.*

[4]) cf. pag. 9 adnot. 2.

Or. v. 997 verba afferre: *Φερεκύδης δὲ οὐ καθ' Ἑρμοῦ μῆνίν φησι τὴν ἄρνα ὑποβληθῆναι ἀλλ' Ἀρτέμιδος.*

Jam habes quae supersunt testimonia de Pherecydis narratione, quam aliqua ex parte ille cognovisse videtur e Lesbiorum fabulis. Narravit autem fere haec: Pelops venit Lesbum ad Oenomaum regem, qui advenienti equorum certamen proponit. Convenit autem iureiurando per Dianam facto, ut, qui victor excederet Hippodamiam in matrimonium duceret, qui superaretur mortis supplicium ferret. Pelops periurus Myrtilum corrumpit ut clavos e rotis removeat. Superato ita certamine equi alati victorem una cum Hippodamia et Myrtilo per mare in Peloponnesum revehunt. Myrtilum, cum in itinere Hippodamiae vim inferre conetur, Pelops in mare praecipitat. Diana autem laesi iurisiurandi memor postea per auream ovem Pelopis filios pessumdat.

Splendidissimo autem lyrici carminis ornatu fabulam induit Pindarus, cum de periurio et dolo Pelopis prorsus taceret, alia, quae de eo narrata inveniebat, emendare studeret in Olympiorum carmine illo primo, criticorum interpretamentis summopere vexato. Fabulae autem Pindaricae summa nobis videtur haec: Tantalus, deorum in epulis conviva, ut superis gratiam referret, ipse in Sipylo monte, deis gratissimo, mensam illis apponere constituit (v. 38—39). Quibus ut carissimum quod haberet bonum traderet, ad probissimas epulas (*εὐνομώτατον ἐς ἔρανον*) unicum sacrificavit filium.[1]) Quam narrationem ex Phoenicum ut videtur fabulandi more Asiae Achaei, qui et religiosissimi[2]) et antiquitus hominum sacrificiis adsueti[3]) putabantur, de Tantalo et Pelope effinxerant. Di autem, Tantali cognita hoc ex sacrificio summa pietate, statim ex splendido lebete per Clothonem integra Pelopis membra in vegetum rursus composuerunt corpus, praeter umerum. Hunc autem comesum fuisse a Cerere ex longinqua filiae raptae persecutione et dolore et fame cruciata e composito reticere videtur Pindarus. Quare eburneo umero ornaverunt superi puerum (v. 26, 27). Quod iure inter mirabilia a dis facta pio animo numerat poeta, cum exclamet *ἦ θαύματα πολλά* (v. 28). Renati autem Pelopis pulchritudine tanto inflammatus est amore Neptunus (v. 25, 26) ut ex ipso deorum in Sipylo consessu aureo curru adolescentem in Olympum raperet (v. 41, 42). Et Tantalum deinde pro tali in ipsos fide tantopere sui similem habebant superi (v. 54, 55),

1) cf. schol. ad v. 38.

2) *Ἀχαιομαντεῖς* teste Hesychio s. v. Cypri nominabantur sacerdotes.

3) Admoneo Iphigeniae, Minotauri, Pelei et Chironis (Eus. praep. ev. IV, 173, e) Jovis Laphystii i. e. gulosi.

ut aeternam ei vitam et nectar et ambrosiam tribuerent (v. 62—64). Tantam vero fortunam concoquere non potuit (v. 56), sed fastu correptus nefario deorum ambrosiam cum mortalibus communicavit compotatoribus (v. 60. 61). Quare et ipse summis in aeternum excruciatur suppliciis (v. 57—60) et filius innocens ex Olympo ad cito morituram hominum gentem remissus est (v. 65, 66) sed ita tamen, ut favorem ei Neptunus in posterum non denegaret.

Hanc autem quam ipse proponit de dis et Pelope fabulam Pindarus ab hominibus et Pelopidarum genti maledicis (v. 46), et deorum dignitatem minime curantibus (v. 52) miserrime depravatam esse profitetur, quam depravationem a poetis subinde tam artificiose et suaviter fuisse exornatam, ut etiam inhonesta et incredibilia homines crederent (v. 30, 31), donec aliquando futurum tempus et horum credulitatem et poetarum pravitatem patefacturum esset (v. 33, 34).

Quid autem mirum, poetas filii sacrificium illud et castissimum et piissimum in scelus vertisse et in immundam deorum voracitatem, postquam hic sacrificandi mos plane ex hominum usu atque memoria evanuit?

Quare, cum hanc vulgaris fabulae deformationem gravissimis castiget verbis, fabulae fontem, poetarum ira ac studio obrutum atque occultatum resuscitare videtur.[1])

Neque aliter iudicandum est de Pelopis cum Oenomao certamine quale Pindarus et cani et audiri voluit.

Illustris enim Hippodamiae a fortissimis nequiquam petitae fama cum ad Pelopem pervenerit. Neptunum obtestatus per amoris dona, ab ipso quondam illi praebita, orat iuvenis, ut se velocissimo curru in Elidem deducat, Oenomai hastam cohibeat, amatum victoriae compotem faciat. Magnum vero illud periculum sese non timidum, neque, ut ex Pindari sententia addi licet, dolosum inventurum esse (v. 70—84). Quibus permotus precibus Neptunus Pelopi equorum alatorum donat currum aureum. Oenomao devicto iuvenis virginem in matrimonium ducit, imperium ac regnum suum sex filiis firmat et propagat. Vita autem feliciter peracta ad Alphei fluminis ripam splendidis honoratur Graecorum inferiis (v. 86—93).

Habemus igitur nobilissimi regis vitam beatam, a prima iam aetate cari deis, qui cum natura propensus esset ad

1) cf. M. Seebeckium in Mus. Rhen. nov. ser. III, p. 512: „Er will nur den thatsächlichen Bestand einer allgemein gültigen Sage von willkürlicher Entstellung läutern und eben damit zur besseren Geltung und festern Gestaltung bringen. Nicht also der leere, haltlose Zweifel, sondern im Gegentheil der zuversichtliche Glaube an die objective Wahrheit der Sage ist die Grundlage seiner Kritik."

summa audenda[1]) tamen non sine deorum auxilio rem gerere voluit, ita ut haec fabula optime Pindaro concinere videretur cum adhortatione qua totum finivit ad Hieronem carmen

ἐπ' ἄλλοισι δ' ἄλλοι μεγάλοι· τὸ δ' ἔσχατον κορυφοῦται
βασιλεῦσι. μηκέτι πάπταινε πόρσιον.

De reliquorum lyricorum poetarum huius argumenti carminibus certiora proferri propter temporis invidiam, quae ea maiore ex parte absumpsit non possunt, nisi quod Praxillam Pelopidarum fabulam tractasse conicimus ex Athenaei verbis (XIII, p. 603 A) ita quidem traditis: *Πράξιλλα δὲ ἡ Σικυωνία ὑπὸ Διός φησιν ἁρπασθῆναι τὸν Χρύσιππον.* Cum vero alibi nusquam Jovem Chrysippi amatorem dictum esse inveniamus iam Valckenaerius verba *ὑπὸ Διός* emendavit in *ὑπ' Οἰδίποδος.* Quae emendatio mihi probatur scholiastae ad Eur. Phoen. v. 66 adnotatione hac (*φασὶν ὅτι Πέλοψ Χρυσίππου ἁρπαγέντος κατηράσατο μέχρι παίδων εἶναι τὸ κακόν*) *τινὲς δέ φασιν, ὅτι Λάϊος ἀνῃρέθη ὑπὸ Οἰδίποδος, ὅτι ἀμφότεροι ἤρων Χρυσίππου.* Fabulam igitur apud hanc poetricem coniunctam reperimus cum Thebanorum fabulis, quod fortasse primus finxit Alcmaeonidis poeta.

Cognita igitur fabula et epica et lyrica, explicandum erit, quomodo a poëtis scaenicis sit immutata. Ex hac autem de Pelope et Oenomao fabula non tam curruum certamen ipsum quam quae illi antecedebant quaeque subsequebantur in scaena agi potuerunt. Certamen enim narratione modo ab histrionibus erat explicandum, Pelopis autem barbari adventus, Hippodamiae erga illum amor, Myrtili corruptela, funestus denique certaminis exitus facultatem praebuerunt poetis ad describendos hominum animos, quam proni sint ad summa propter amorem audenda, ad fidem in dominum laedendum, ad neglegendum adeo iusiurandum. Ut autem traegodiis aut comoediis agi posset, epicorum fabula ex parte erat immutanda.

Cum autem Phrynichus in Tantalo de Pelopis parente, Aeschylus in Laio de Chrysippo, Pelopis filio protulissent sine dubio, quae Pelopis etiam sortem illustrarent, tamen ante Sophoclem nemo hanc fabulam in drama convertisse videtur. Quod in Aeschylo non miramur. Qui enim apud inferos gloriatur (Aristoph. Ran. v. 1043 sq. Mein.)

ἀλλ' οὐ μὰ Δί' οὐ Φαίδρας ἐποίουν οὐδὲ Σθενεβοίας,
οὐδ' οἶδ' οὐδεὶς ἥντιν' ἐρῶσαν πώποτ' ἐποίησα γυναῖκα

suo iure abstinuit hac fabula, magnam partem mulierum conflata libidine ac fallacia.

[1]) Optime dicitur a Goethio Iph. act. III, v. 117: „Der gewaltig Wollende."

Ex Sophoclis autem dramate quod sub Oenomai nomine fertur fragmenta exstant sex[1]) quibus vulgo adnumeratur fragmentum, teste Stobaeo (XXVII, 6) ex Sophoclis Hippodamia servatum.[2]) Hic quaerat quispiam, num Sophocles duo diversi argumenti scripserit dramata, quorum alteri esset titulus Oenomaus, alteri Hippodamia. Quod ex sola hac titulorum diversitate diiudicari non potest, cum Stobaeum in afferendis dramatum titulis neglegenter egisse demonstraverit Welckerus.[3]) Summi autem esset momenti, si ex fragmentorum ipsorum natura atque argumento posset demonstrari, a Sophocle hanc fabulam duobus dramatis, et tragico et satyrico in scaenam esse productam. Quae autem ex Oenomao qui nominatur supersunt fragmenta mihi quidem valde satyricam poësin sapere videntur. Videamus enim verba fragmenti 429

Σκυθιστὶ χειρόμακτρον ἐκκεκαρμένος

i. e. „postquam tibi capitis pellis detracta est, ut illa Scytharum more manteli utar". Scythae autem *τῶν λαμβανομένων πόλιων ὧν* (em. *πολεμίων*) *τὰς κεφαλὰς ἐκδέροντες ἀντὶ χειρομάκτρων ἐχρῶντο.*[4]) Quibus verbis Oenomaus deterrere conatur Pelopem a certamine, crudelissimam devictorum procorum poenam enarrans. Hanc autem sententiam talem esse quae prorsus descendat ad ludicrum dicendi genus nemo negabit. Quae cum ita sint, quomodo vir doctissimus Jul. Vogelius[5]) hunc Oenomaum cum cothurno incedere arbitrari posset, fateor me non intellegere.

Jocosum deinde sensum fragmenti 433 verbis

πλήθουσι γάρ τοι κἀνέμων διέξοδοι
θήλειαν ὄρνιν, πλὴν ὅταν τόκος παρῇ

inesse recte animadverterunt viri docti; neque ullo modo fieri posse censeo quin dramati satyrico haec tribuantur. Cum autem difficillimum sit demonstratu, quo sententiarum nexu dicta sint, maxime placet Ribbeckii opinio, qui Hippodamiam praegnantem illis verbis hanc suae ipsius habitum et celare et excusare putat.[6])

His autem (frg. 432)

γενοίμαν αἰετὸς ὑψιπέτας
ὡς ἂν ποταθείην ὑπὲρ - - - ἀτρυγέτου
γλαυκᾶς ἐπ' οἶδμα λίμνας

[1]) cf. Nauck, Trag. Graec. fragm. no 427; 429—433.
[2]) cf. Nauck, l. l. no 428.
[3]) cf. Graec. trag. I, p. 68.
[4]) cf. Hesych. s. v. *σκυθιστὶ χειρόμακτρον.*
[5]) cf. „Scenen euripid. Tragoedien in griech. Vasenbildern." Leipzig 1886, p. 128.
[6]) cf. Rom. trag. p. 442.

Welckerus[1]) certamine inito stasimum coeptum esse opinatur a choro, qui optet ut possit prosequi in aquilam mutatus Pelopis quadrigas.

Vulgare atque ludicrum deinde dicendi genus iam Welckerus[2]) animadvertit in frg. 427 verbis

ἡ μὲν ὡς ἴ θᾶσσον ἡ δ' ὡς ἴ τέκοι παῖδα - - -[3])

cum illud ἴ pro *αὐτή*[4]) e mulierum incompto sermone sumptum esse putaret. Refero autem haec verba cum Dindorfio ad Oenomai et Pelopis matres, quarum utraque filii celeritatem praedicasse narratur.

Neque a genere satyrico alienum fortasse censes fragmentum 431

διὰ ψήκτρας σ' ὁρῶ
ξανθὴν καθαίρονθ' ἵππον αὐχμηρᾶς τριχός

quod Pelopi cum Myrtilo colloquenti tribuere malo quam Hippodamiae, cum Pelopem videat equorum iubas strigile radentem. Primum enim valde dubito, num Pelops ipse tali officio functus sit, deinde non apparet quonam casu Pelopis equorum, qui nondum certando laboraverant, iubae sordibus aspersae fuerint, quod utrumque optime de Oenomai quadrigis dici potest. Regis enim equi in antecedenti cum alio proco certamine pulvere sordibusque erant oborti, quibus in abstergendis occupatum invenit Pelops Myrtilum, quem, colloquendi hac facultate data ad dolum deinde corrumpit.

Restat unum ex Oenomao fragmentum (430) de quo nunc erit disputandum. Verba sunt autem haec:

τοιάνδ' ἐν ὄψει λύγγα[5]) *θηρατηρίαν*
ἔρωτος, ἀστραπήν τιν' ὀμμάτων ἔχει·
ἐκθάλπεται μὲν αὐτός, ἐξοπτᾷ δ' ἐμέ,
ἴσον μετρῶν ὀφθαλμόν, ὥστε τέκτονος
παρὰ στάθμην ἰόντος ὀρθοῦται κανών.

Hippodamia his summum sui ipsius amorem in Pelopem confitetur Myrtilo, ut putat Welckerus, ut contra equidem sentio Steropae matri, quam in vasorum imaginibus semper fere cum filia videmus colloquentem. Dicit autem Hippo-

[1]) l. l. p. 356.
[2]) l. l. p. 355.
[3]) Metrum Archilochium, cuius duae ultimae syllabae desunt. Quod Ellendtius (Lexic. Soph. s. v. ἴ) dixit *παῖδα* illo loco poni non potuisse non intellego, neque quale sibi metrum finxerit cum legi posse censeat *ἡ μὲν ὡς ἴ θάσσονα παῖδα* neque cur a grammaticis explicandi gratia fortasse extrinsecus repetendo verbum *παῖδα* additum fuisse opinetur.
[4]) cf. schol. Il. X, 410.
[5]) Emendarunt sine iusta causa codd. scripturam *λύγγα* (A. B. V.) sive *λύγκα* (C) in *ἴυγγα* (Brunck.) vel *λίγγα* (Dind.)

damia de Pelopis oculis lynceis[1]) quibus, dum ipse amore inflammatur, virginem excoquit (*ἐξοπτᾷ*). Etenim oculos eadem cum peritia in eam dirigere didicit, qua architectus, ne supra modum excedat, normam suam dirigit (*ὀρθοῦται κανών*). Videntur autem mihi huius fragmenti cum verba singula, tum tota sententia talia esse, quae tragoediae tribuere valde dubitem.

Finitum autem esse coniecit Ribbeckius hoc drama satyricum cordace, a Pelopis comitibus in Dianae honorem saltato.

In his igitur, quae sub Oenomai nomine exstant, fragmentis nullum potest inveniri quod Sophoclis artem tragicam redoleat; immo referta sunt et verbis et sententiis ridiculis, ita ut negari non posse videatur, Sophoclis Oenomaum fuisse drama satyricum,[2]) quod Welckeri quidem sententia actum est ante Ol. 91, 2 (a. a. Chr. n. 415)[3]). Ne autem propterea quod Sophoclis Oenomaus nusquam aperte nominatur fabula satyrica huic nostrae sententiae fidem deneges, monendum est, hanc significationem multis in dramatis fuisse omissam, cuius rei luculentissimum praestant exemplum viginti quinque illa Sophoclis Inachi fragmenta.[4]) Quod cum in Inacho ita explicaret Welckerus[5]) ut hanc fabulam Graecis fuisse inter notissimas censeret, eandem hanc causam etiam in Oenomao iure vindicamus, quem non minus decantatum fuisse Demosthenes Atheniensis testis afferri potest haud contemnendus. Hic enim non melius Aeschinem inimicum populo ludibrium facere se posse putavit, quam cum eum *αὐτοτράγικον πίθηκον, ἀρουραῖον Οἰνόμαον* nominaret (de cor. p. 242). Qui idem testatur Oenomai fabulam non modo Athenis ipsis, Dionysiis magnis, sed etiam Posideone mense parvis vel rusticis quae dicuntur Dionysiis per Atticae *δήμους* ut Collytensem et Cothocidensem in scaenam fuisse productam l. l. p. 180.

Exigua autem haec quae attulimus dramatis satyrici fragmenta de eius argumento parum produnt: Hippodamiae in Pelopem amorem (430), Pelopis cum Myrtilo coniurationem (431), certaminis initium (432). Cui addenda mihi videntur esse quae de Myrtili in regis filiam amore et de illius cum Pelope mercedis pactione satis ridicula a nonnullis tradita esse reperimus. Inter alios enim Pausanias tradit narratiunculam hance (VIII, 14, 11). *Ἱπποδαμείας δὲ ἤρα μὲν καὶ αὐτὸς ὁ Μύρτιλος, ἐς δὲ τὸν ἀγῶνα ἀτόλμως ἔχων ὑπεῖκε καὶ ἡνιόχει τῷ Οἰνομάῳ. τέλος δὲ καὶ ἀναφανῆναι τοῦ Οἰνομάου προδότην φασὶν αὐτόν, ὑπαχθέντα ὅρκοις, ὡς οἱ νύκτα ὁ Πέλοψ*

[1]) cf. Horat. Sat. I, 2, 90.
[2]) cf. O. Ribbeckium l. l. p. 442.
[3]) cf. Welckerum l. l. p. 557.
[4]) Nauck, l. l. no 249—273.
[5]) l. l. vol. I, p. 64.

μίαν Ἱπποδαμείᾳ συγγενέσθαι παρήσει. Quid autem spectatoribus maiorem risum movere potuit miserrimo hoc Oenomai auriga, non ad Hippodamiae virginis amatae, sed ad gelidarum undarum amplexum destituto?

Quod autem Sophoclis drama initium cepisse statuit Welckerus ab Oenomai cum Pelope advena colloquio[1]), cum argumentis nec refelli possit nec probari, adsentire vix possum, quod ita narratione sterili multa praeoccupasset poeta, quae melius agendo spectatoribus potuerunt monstrari. Prudenter igitur eum puto initium sumpsisse a Pelope advena, qui Hippodamia visa, extemplo virginem suam facere constituit. Per Myrtilum, quem Oenomai equos curantem invenit de prioribus procorum vanis certior factus conaminibus, eum corrupit. Tum demum cum Oenomao congressus est, cuius, sic fabula huc usque producta, dirae in Lydum minae spectatores non tam *δι᾽ ἐλέου καὶ φόβου* quam gaudio atque risu non potuerunt non percellere.

Denique quod ab Oenomao, quem, ut loquar cum Demosthene *ἐπέτριψεν* Aeschines tritagonista, nequaquam in dramate primo loco habendo Sophoclis haec fabula nomen accepit, aliorum dramatum probatur exemplis, quae, de fabularum denominatione contra Odofredum Müllerum[2]) disserens collegit vir de Graecorum tragoediis restituendis optime meritus G. Welckerus.[3])

Sed praeter Sophoclis Oenomai fabulae fragmenta apud Stobaeum Flor. 27, 6 leguntur haec: *Σοφοκλέους Ἱπποδαμείας·*

> *ὅρκου δὲ προστεθέντος ἐπιμελεστέρα*
> *ψυχὴ κατέστη· δισσὰ γὰρ φυλάσσεται*
> *φίλων τε μέμψιν κἐις θεοὺς ἁμαρτάνειν.*

Quo in loco Welckerus quidem Hippodamiae nomen per errorem a Stobaeo pro Oenomao positum esse putat.[4]) Contra verborum nec non sententiae diversitatem quandam perspicere sibi videbatur J. Vogelius inter Oenomai fabulam et hoc Hippodamiae fragmentum.[5]) Nec negari potest, hos versus a reliquis differre gravitate et dignitate. Tamen dubitat vir ille doctus, num Sophocles eandem fabulam et tragico et satyrico produxerit dramate. Neque equidem a tribus versibus, paullulum gravioribus ut videtur, Sophocli pro certo adscribere audeam Hippodamiae tragoediam.

Sive autem praeter Oenomaum utique satyricum effinxit

---

[1]) cf. l. l. p. 353.
[2]) cf. indic. litter. Gotting. a. 1828, p. 1076.
[3]) l. l. vol. I, p. 69.
[4]) l. l. vol. I, p. 72.
[5]) l. l. p. 128.

poeta Hippodamiam tragicam, quam ad Colchiniarum maxime compositionem propter argumentum haud dissimile accessisse opinatus est Welckerus[1]) sive non effinxit, alium mihi quidem hi versus in fabula occupasse videntur locum, atque Welckerus iis addixit.[2]) Quis enim est qui credat, Hippodamiam Myrtilum, hominem perfidum iureiurando obstringere voluisse, ne eo quod nefario suo promisso non staret, sed Oenomao fidum se praeberet aurigam deorum numina offenderet! Quis enim dis gratior esse potest viro, dominum suum contra insidias adiuvante? Nec melius quadrant versus illi in Ribbeckii sententiam[3]) qui illud iusiurandum a Myrtilo Pelopi impositum fuisse putat, perductus ut videtur Hygini verbis, qui Myrtilum **fide** a Pelope **data** currum iunxisse narrat (fab. 83). Quibus commoveri me non sino ut Sophocli perversum imputem sensum. In tali enim pacto, dis maxime invidioso omnino eorum numen testis fieri non potuit. Reiectis igitur his virorum doctorum sententiis Oenomao attribuo haec verba, qui certaminis condicionibus propositis per deos barbarum iurare iussit, ne in ipso certamine contra ius ac fas faceret.

Fabula autem satyrico genere tractata Sophocles non impediebatur, quominus in Electrae v. 504 sq. Myrtili necem causam fuisse Pelopidarum miserrimae sortis gravissimis doleret verbis. Tenendum enim est quae de heroibus socco indutis optime admonuit Welckerus[4]): „Sie selbst in Spassmacher zu verwandeln, sie zu erniedrigen, zu parodieren war keinesfalls die Absicht des Spiels, da es vielmehr seine Grundregel hatte in dem Gegensatz des mässig Ernsten und Würdigen und des Satyrartigen, des Vornehmen und des Gemeinen, des Charakters und der Niedrigkeit, der tieferen Empfindung von Gefahr, Not und Grauen und des grenzenlosen Leichtsinns bei einem bloss sinnlichen Eindruck aller Widerwärtigkeiten."

Quae deinde ex **Euripidis** dramate quod inscribitur Oenomaus supersunt, de fabulae argumento non multum nos edocent. Hac autem quam melius in suos usus vertere potuit poeta qui mulierum amores et piissimas Alcestidis, et maxime nefarias Canaces atque Sthenoboeae qua vigebat arte in scaenam produxit. Quare qualem apud posteros Hippodamiam inveniemus effictam, Euripidis ingenio formatam esse arbitramur. Videtur autem Euripides eo discrepasse a Sophocle, quod ab Oenomai prologo tragoediae exordium fecit. Frag-

---

[1]) l. l. p. 334.
[2]) l. l. p. 354.
[3]) l. l. p. 435.
[4]) Additam. ad trilog. Aeschyl. p. 328.

menti enim 575 verba recte Welckerus illi prologo tribuit, quo rex et suam et filiae sortem multis questus est verbis, ad quam orationem etiam referendum mihi videtur fragmentum 576.

Nec non optime ex Oenomai ore audiuntur fr. 581 versus

ἐγώ μὲν εἶτ' ἂν τοὺς κακοὺς ὁρῶ βροτῶν
πίπτοντας, εἶναι φημὶ δαιμόνων γένος

quos Schneidewinus, cum sine auctoris nomine traditi sint, Euripidi adiudicavit. Consolatus est, ut mihi videtur, se ipsum rex, quod procorum tot conamina ad irritum essent redacta.

Fragmenti deinde 577 verba

ἀλλ' ἔστι γὰρ δὴ κἀν κακοῖσιν ἡδονὴ
θνητοῖς ὀδυρμοὶ δακρύων τ' ἐπιρροαί·
ἀλγηδόνας δὲ ταῦτα κουφίζει φρενῶν
καὶ καρδίας ἔλυσε τοὺς ἄγαν πόνους

cum Welckero[1]) Hippodamiae attribuo. ipsius animi metum de certamine quod Pelopi amato instat et querimoniis et lacrimis sublevanti. Quod autem virginis timidum hunc animi motum miratus est vir doctissimus, illius in dramate naturam non plane intellexisse mihi videtur. Nam Hippodamia non adeo scelesto in Pelopem amore fuit obcaecata, ut laeto animo patrem Myrtili perfidia pateretur ad interitum vocari. Immo in eo positam fuisse arbitror poetae artem, ut Hippodamiam effingeret et in Lydum pulcherrimum vehementissimo amore inflammatam, et ex scelesto Myrtili dolo summum oriri malum praesentientem.[2])

Versus fr. 580

ὁ πλεῖστα πράσσων πλεῖσθ' ἁμαρτάνει βροτῶν

non tam de Oenomao, quam de Pelopis facinore dictus mihi videtur, ut excusaretur dolus quo ille uti coactus erat.

Oenomao autem, Pelopi certaminis pericula proponenti respondit iuvenis verba quae legimus fr. 579.

Habemus igitur, artis monumentorum de quibus alio loco accuratius disputare mihi in animo est praeter minima haec testimonia ratione ducta Euripidis tragoediam in hunc ut opinor modum procedentem: Oenomai prologus, quo spectantes certiores fecit de oraculo, ex quo per eum qui filiam suam in matrimonium duceret vita sibi esset amittenda. Unde tristes illae exclamationes (fr. 575)

ἀμηχανῶ δ' ἔγωγε κοὐκ ἔχω μαθεῖν,
εἴτ' οὖν ἄμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα

---

[1]) Graec. trag. II, p. 675.
[2]) cf. Ribbeck, Rom. trag. p. 433.

θνητοῖσιν εἴτ' ἄπαιδα καρποῦσθαι βίον.
ὁρῶ γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἔφυσαν ἀθλίους·
ὅσοισι δ' εἰσίν οὐδὲν εὐτυχεστέρους·
καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες ἐχθίστη νόσος,
κἂν αὖ γένωνται σώφρονες, κακὸν μέγα,
λυποῦσι τὸν φύσαντα μὴ πάθωσί τι.

Sed in fine se consolatus est commemorata omnium adhuc procorum clade equorumque suorum eximia velocitate. Sequebatur deinde Pelopis adventus, et cum regis uxore et filia colloquium. Ad dolum deinde Myrtilus perducitur. Jam fraudis atque perfidiae instructus machinis Pelops Oenomao obviam it. Conveniunt inter utrumque certaminis condiciones. Sacris deinde factis evehuntur, dum chorus in scaena remanens in anxias effunditur lamentationes. Simul autem cum Pelopis in scaenam reditu funestus certaminis exitus spectatoribus patefactus est.

Quam autem Euripides non in dramate ipso producere potuit Oenomai et Myrtili necem, in aliis tragoediis (Hel. v. 386 sq. Or. v. 988 sq. 1547 sq.) spectatoribus in memoriam revocavit. Et novasse hoc in certaminis exitu mihi videtur, quod Oenomaum e curru delapsum a Pelope hasta interfectum esse dixit (Iph. Taur. v. 825) cum apud priores ipso currus fractu Oenomaus vitam amisisse videatur.

Actum fuisse Euripidis hoc drama una cum Chrysippo et Phoenissis Nausicrate archonte tradit argumentum quod truncatum esse dolemus Phoenissarum: *ἐπὶ Ναυσικράτους ἄρχοντος δεύτερος Εὐριπίδης καθῆκε διδασκαλίαν περὶ τούτου καὶ γὰρ ταῦτα ὁ Οἰνόμαος καὶ Χρύσιππος καὶ σώζεται.* Cum autem illud archontis nomen manifesto corruptum sit, aliis in computationem vocatis testimoniis Fridericus Spiro (De Euripidis Phoenissis. Diss. inaug. Berol. 1884) demonstrasse sibi videtur, Oenomaum et Chrysippum et Phoenissas a. a. Chr. n. 410 secundum praemium ab Atheniensibus reportasse.

Post Euripidem autem a comoediarum poetis ludificanter detortam esse fabulam demonstrant quae ex Antiphanis[1]) comoedia leguntur excerpta apud Athenaeum, Deipnos. IV, 130e: *ὁπότε καὶ Ἀντιφάνης ὁ κωμῳδιοποιὸς ἐν Οἰνομάῳ ἢ Πέλοπι διαπαίζων ἔφη*

τί δ' ἂν Ἕλληνες μικροτράπεζοι
φυλλοτρῶγες δράσειαν; ὅπου
τέτταρα λήψει κρέα μικρ' ὀβολοῦ.
παρὰ δ' ἡμετέροις προγόνοισιν ὅλους

---

[1]) De Nicocharis, Aristophanis aequalis dramate, quod sub titulo fertur *Πέλοψ* (cf. Suidas. s. v.) nihil servatum est.

βοῦς ὤπτων, ὗς, ἐλάφους, ἄρνας·
τὸ τελευταῖον δ' ὁ μάγειρος ὅλον
τέρας ὀπτήσας μεγάλῳ βασιλεῖ
θερμὴν παρέθηκε κάμηλον.

Et his quidem versibus Pelops eandem qua pater interiit luxuriam ac protervitatem ostentans, et Oenomai regis hospitium increpans mendicum Lydorum gentis vitam, bonis ac divitiis abundantem magna voce efferre videtur.

Eubulus deinde eandem fabulam eodem sub titulo tractavit, ex qua servavit Athenaeus XV, 678 f. haec modo verba

— — — περιφοραῖς κυκλούμενος
ὥσπερ κυλιστὸς στέφανος

quae in dramate ipso aut de rota in certamine a currus axe delabente aut de Oenomao ipso ex curru per praeceps deiecto narrata esse puto. In hunc autem currus collapsum et alias Eubulum iocatum esse suadent apud eundem Athenaeum III, 108d. tradita *τὰ ἐξ Ὀρθάνου Εὐβούλου ἰαμβεῖα*

ὡς εὖ νεναυάγηκεν ἐπὶ τοῦ τηγάνου
ὁ θεοῖσιν ἐχθρός
Μύρτιλος·

Comoediarum autem poetae postremi videntur fuisse, qui fabulam ex suo ingenio conformabant et immutabant, quam tamen illorum immutationem in Graecorum animos non alte descendisse arbitror. — Posteri qui totam fabulam ordine pertractabant, cum qui per occasionem de Pelope res proferunt omnibus notas, praetermittamus, notitiam suam ex compendiis hauserunt mythologicis. Etenim primo a. Chr. n. saeculo novum atque acerrimum studium Graecorum poetis historiaeque poeticae navari coepit, quo factum est ut plurima ex diversissimis scriptoribus componerentur in compendiis, quae deinde magis magisque in unam atque continuam quamvis confusam contaminabantur narrationem.

Et hoc fere modo compilavit sine dubio Diodorus Siculus[1]) quae de Pelope et Oenomao *ἐν κεφαλαίοις* profert Bibl. Hist. IV, 73 hoc rerum contextu: Oenomaum, Martis ex Harpina nympha filium, cum de vitae exitu consuleret Apollinem, deus ut Hippodamiae, unicae filiae nuptias caveret admonuit. Quare Oenomaus procis curruum certamina proposuit cum vitae periculo a Pisa usque ad Isthmum Corinthiacum talem in modum: dum ipse rex immolat Jovi[1]) arietem procus quadrigis evehitur.[2]) Perfectis autem rebus divinis, Myrtilo scienter equos, velocitate insignes[3]) incitante, rex iuvenem brevi assecutus hasta perfodit. Quam sortis atrocitatem ut evitaret Pelops cum Pisam advenisset et Hippodamiae amore inflammatus esset, Myrtilum corrupit, quo factúm est, ut ille primus ad Neptuni in Isthmo aram perveniret, Oenomaus autem, fata iam iam impleta ratus mortem sibi ipse consisceret, quo mortuo Lydus consecutus est et puellae coniugium et regnum, auctisque subinde opibus Peloponneso dedit nomen.

[1]) cf. K. Muellenhoff, Antiquit. German. vol. I, p. 460: Dass Diodor ein Compilator der rohesten Art war, der in seiner Bibliothek nur Auszüge aus verschiedenen Schriftstellern zusammenstellte und diese selten mit eigenen, leicht erkennbaren Zusätzen oder mit Einschaltungen aus anderen Quellen unterbrach, kann bei einiger Aufmerksamkeit Keinem entgehen.

Qua in narratione offendunt nonnulla. Frustra enim quaerimus quonam praemio corruptus fuerit Myrtilus, nisi verbum *φθείρειν* communi sensu de pecuniae largitione accipere vis, quoque dolo Pelopi potestatem fecerit certaminis sustinendi. Quod quidem ita comparatum fuisse videtur, ut Oenomaus, cum aurigae perfidiam non perspiceret, se ex deorum voluntate iusto certamine victum esse putaret. Cui si addis, quod Pelopis in subicienda Peloponneso effertur virtus ac fortuna, laudanturque diligentissime dii, qui alicuius momenti sunt in fabula, veri simile videtur esse, a Diodoro tradi eam talem, qualem fere Jovis Olympii vel Neptuni per Isthmum sacerdotes quaerentibus enarrare poterant, qui videlicet Myrtili corruptelam atque dolum quam brevissime commemorabant.[4])

Cum autem Graeci Pelopem plerumque advenam putarent, quid mirum, illos patrio regno eum expulsum et cum magno exercitu et paternis divitiis ex Asia in Graeciam transvectum finxisse. Quam sententiam, quoniam ipsi Thucydidi (I, 9) probata fuit, pro explorata habuerunt posteri, qui heroum fabulis in historiae res gestas convertendis optimum nimirum ingenii acuminis specimen praebere sibi videbantur, cuius rei inferiorum historicorum testimonia exstant Nicolai Damas-

[1]) Accuratius Paus. V, 14, 6 dicit *Διὶ Ἀρείῳ*, qui idem a Philostr. iun. im. 9 nominatur *Ἄρης*. Nec iure offendisse puto Ritschelium in hanc nominum differentiam (Ann. dell' Inst. vol. XII, p. 182).

[2]) cf. Schol. Pind. Ol. I, 114: *τῷ μὲν μνηστῆρι ἐδίδου προηγεῖσθαι τοῦ δρόμου.*

[3]) cf. Hygin. fab. 84: Aquilone velociores.

[4]) Attamen adeo non cum viro doctissimo G. Loeschkio (Die östliche Giebelgruppe am Zeustempel zu Olympia. Dorpat. 1885. p. 14.) Olympiae exegetas de Myrtili scelere prorsus tacuisse arbitror, ut in ipso Paeonii opere illud indicatum esse intellegam. Qua de re alio loco accuratius erit dicendum.

ceni fr. 17.[1]) Characis Pergameni fr. 18.[2]) Phlegontis Tral-
liani fr. 1[3]) Nec non Diodorus (l. IV, c. 74). Tantali filium,
patre ab Ilo rege e Paphlagonia expulso, ex terra illa in
Graeciam transmigrasse contendit.

Quod studium magis etiam apud Strabonem geographum
apparet. Cuius dispersae de hac fabula sententiae in rerum ordi-
nem redactae sunt haec: Pelops cum exercitu ex Phrygia in
Graeciam proficiscitur (c. 331). Ubi primum Leuctra et Chara-
dram et Thalamas urbes Boeotiae et Phocidis condit, quas
Amphioni cum in matrimonium ille ducat Niobam, Pelopis soro-
rem tradit (c. 360), deinde Boeotorum quibusdam et Achaeis ex
Phthiotide comitantibus (c. 365) Oenomao Pisae succedit in regno
quod deinde post Pelopem et filios eius haud paucos, Salmoneus
rex occupavisse dicitur (c. 356). Oenomaum autem et Salmoneum
etiam Elide regnasse recentiorum quosdam falso novasse (c. 356).

In Dionysii deinde Halicarnassensis Archaeol.
l. V, c. 17 ab Hercule in honorem Pelopis ludi funebres
virorum equorumque certaminibus celebrati esse traduntur.

In Apollodori autem cuius vulgo dicitur Bibliothecae,
quam conscriptam esse a grammatico quodam secundi post
Chr. n. saeculi demonstravit C. Robertus[4]), libro III, c. 10,
1. 2, traditum legimus Steropam Oenomai uxorem ex Neptuno
gravidam peperisse Lycum, quam rem, cum Steropae propen-
sam in Pelopem, Neptuni delicias, voluntatem, quam cetero-
quin ignotam ex artis monumentis cognovisse mihi videor, ex
parte possit explicare memoratu hic dignam putavi. Cui
addimus, quod ex integro ut arbitror Bibliothecae opere ex-
cerpsit Tzetzes ad Lycophr. v. 158. Hippodamiam Oenomao
non ex Sterope sed ex Eurythoa Danai filia natam esse.

Quae autem Joannes Tzetzes duodecimo post Chr. n.
saeculo integra adhuc legerat postea valde mutilata sunt, ita
ut illa quoque Bibliothecae pars interiret, in qua Pelopis
enarrata erat fabula. Etenim iam Heynius in observv. in
Apollod. p. 350 censuit, scriptorem ad enarrandum bellum
Troianum initium sumpsisse a Pelopidarum historia. Quae
sententia optime probata est excerpto illo ex Apollodori Bi-
bliotheca a viro doctissimo Wagnero in Vaticano nuper in-
vento.[5]) Ex quo apparet, in Bibliotheca ipsa post Thesei
per Lycomedem necem, inde a verbis *ὅτι Τάνταλος ἐν Ἅιδῃ
κολάζεται* contexte enarratam fuisse Pelopis gentis historiam
usque ad Tyestae imperium Mycenis restitutum. Sed quoniam

[1]) cf. Mueller, Hist. Graec. fr. vol. III, p. 367.
[2]) cf. Mueller, l. l. vol. III, p. 640.
[3]) cf. Mueller, l. l. vol. III, p. 603
[4]) cf. De Apollod. Biblioth. Diss. inaug. Berol. 1875.
[5]) cf. Mus. Rhen. nov. ser., vol. XLI, p. 145 sq.

de singulis tum demum disputari poterit, cum publici iuris factum fuerit excerptum hoc Vaticanum, acquiescendum est in Wagneri sententia, a Tzetza in scholiis ad Lycophronem et alias et in hac fabula Apollodorum quam accuratissime esse exscriptum.

Quae autem Tzetzes in his scholiis de quorum indole in universum diserte et diligenter egit M. Scheerius in Mus. Rhen. nov. ser. vol. XXXIV, p. 272 sq. 442 sq. de hac fabula profert ad versus imprimis 156, 157 sunt haec: Oenomaus, Hyperochi et Steropae, Atlantis filiae filius, oraculum accepit, ex quo per Hippodamiae, ex Eurythoa Danai filia procum vita privari ipsi destinatum fuit. Quam sortem ut effugeret, scelesto simul in suam ipsius filiam amore correptus, procis curruum proposuit certamen ita institutum, ut quos insecutus caperet, hasta interficeret. Proci autem non soli sed una cum Hippodamia evehi debebant. Et ipse quidem Myrtilus valde amavit virginem, sed Oenomai crudelitatem metuens certamen cum illo inire non ausus est. Cum vero pulcherrimus ille Lydus peteret virginem, haec ipsa, mutuo in Pelopem amore incensa, Myrtilum corrupit ad dolum pro quo Pelops aurigae Hippodamiam per unam noctem cessurum se esse promisit. Quo pretio perductus auriga aut cereos axi iniecisse clavos aut illos omnino removisse traditur. Victus deinde Oenomaus a Pelope trucidatus, Myrtilus autem fraude sua miserrime fructus est. Cum enim, Pelopem in patriam reducens, Hippodamiae, aquandi causa a Pelope in curru soli relictae, vim inferre pararet, a Pelope redeunte in ipso stupro deprensus et in mare deiectus est.

Magis etiam ad hominum deridendam propter amorem insaniam hac fabula usus est Lucianus. Qui cum in Charidemi c. XIX id praesertim agat, ut pulchritudinis, quae omnes pelliciat, vim quam maxime efferat, Apollinem vatem Cupidini posthabere non respuit. Non enim ex deorum oraculo, sed solum propter scelestum in suam ipsius filiam amorem Oenomaum eam in matrimonium dare nemini voluisse. Ne autem hominum conviciis peteretur, instituisse, ut currus certamen, quo omnes praestabat, inirent Hippodamiae proci, quibus, ut virginis pulchritudinem magis quam equorum velocitatem observarent, una cum Hippodamia evehi necesse fuisset. Superatos autem et regis crudelitatem metuentes, et dolentes amissas Hippodamiae nuptias manus sibi ipsos intulisse. Quod tredecim procos passos esse perhibet, donec dei commiserati et virginem et qui novus certamen subiturus esset Pelopem, iuveni currum praestantissimum et equos donassent immortales. Quorum velocitate Hippodamiam illum assecutum esse, regem vero, cursu exacto interfecisse.

Praeterea strictim commemoratum legimus apud Lucianum Pelopem mactatum et exinde umero eburneo praeditum (de saltat. c. 54). Neptuni in adolescentulum amorem (Charid. c. 9). Pelopis in Olympo cum dis convictum (Charid. c. 7).

Ad fabulam vulgarem, ex parte per singulas modo regiones notam reducit nos Pausanias, cum et quae ex scriptis compendiis didicerat, quaeque propria tradebant de Pelope imprimis Elei, quem illi tantopere praeponebant ceteris heroibus, quantopere inter deos Jovem (V. 15. 1) diligenter perscriberet in Eliacis. Et primum quidem ubi enarrat fabulam ipsam, in libro octavo c. 14. 10 sq. a verbis *τοῦτον Ἑρμοῦ παῖδα εἶναι Μύρτιλον λέγουσιν Ἕλληνες* usque ad *ἐξέβαλε ἐκ τῆς νεώς* tantopere cum Tzetzae ex Apollodori Bibliothecae narratione consentit, ut conicere liceat Pausaniam ex eodem fonte sua hausisse. Invehi autem videtur in auctorem cum refutet eos qui Myrtoum mare a Myrtilo denominatum esse opinantur, quam opinionem exhibet Tzetzes ad Lycophronem v. 154.

Quod deinde Oenomaum Martis filium nominat (V. 1, 6) facit *καθὰ ποιηταί τε ἐπεφήμισαν καὶ τῶν πολλῶν ἐστιν ἐς αὐτὸν λόγος*.

Reliqua quae de fabula profert, partim ex ore exegetarum Olympiorum vel Eleorum sacerdotum, partim ex aliorum illius regionis descriptionibus quales haud paucas exstitisse censeo comperta habuit. Et Cillam quidem Pelopis aurigae nomen fuisse Pausaniae *ὁ ἐξηγητὴς ἔφασκεν ὁ ἐν Ὀλυμπίᾳ* (V, 10, 6 sq.) qui idem contra atque vulgaris fabula, quae Oenomaum Martis filium fecit, regem Alxionis filium nominasse videtur (V. 1. 6). Hunc autem Alxionem, cum idem fere significare videatur atque *Ἀλκαῖος* vel *Ἀλεξάνωρ* Th. Panofka [1]) antiquum fuisse Martis cognomen censuit. Elei deinde nominatim afferuntur testes de Jove Areo ab Oenomao ante certamen sacris culto (V, 14, 6), de Mercurio, cui Pelops ad placandam dei iram propter Myrtili filii mortem primus sacra fecisset (V. 1. 7), de Minerva, quae dicebatur Cydonia, cuius favorem Pelops, priusquam adiret Oenomaum sacrificiis quaesisset (VI, 21, 6).

Ex Eleorum et Phliasiorum deinde narrationibus comperit, Harpinam fuisse Oenomai matrem (V, 22, 6). Pheneatae autem Myrtili corpus, fluctibus in terram eiectum, se excepisse et sepelisse dicebant (VIII, 14, 11), cui annuas instituerent inferias. Neque Troezeniorum fabulas omisit, qui Pelopis aurigam Sphaerum vocabant (V, 10, 6 sq). Achaei enim qui originem ducebant a Pelope Aetio duce Troezena occupaverant. Qui brevi summam rerum adepti, in litore quod ex ad-

[1]) cf. act. acad. Berol. a. 1858, p. 34, not. 14.

verso situm est Sphaeriae insulae, cui postea Sacrae (*Ἱερά*) nomen indiderunt, curruum certamina instituebant. [1]) Quo factum esse existimo, ut propriam sibi de Pelope fingerent fabulam Troezenii. Quin etiam *ἀνὴρ Αἰγύπτιος*, magus videlicet, quales illis temporibus totius Romanorum imperii fines peragrabant, Pausaniam de Taraxippo Olympio narratiuncula oneravit, quam ille perscribere non dubitavit (VI, 20, 18). Pelopem enim venenum aliquod, ab Amphione Thebano acceptum, in stadio defodisse Aegyptius ille fabulatus est, quo et Oenomai et aliorum deinceps equi fuissent perturbati. Tamen non prorsus fidem habet periegeta huic nugatori, sed *Ταράξιππος* ei Neptuni Equestris cognomen videtur esse. [2])

Quae autem teste omisso de fabula exhibet adiecto mero vocabulo *λέγουσιν* (VI, 20, 8; V, 22, 1) vel *λέγεται* (VI, 28, 15; V, 13, 1) vel *φασίν* (VI, 21, 9) plerumque ad Eleorum fabulas referenda videntur. Qui Pausaniae narrabant, procorum corpora ab Oenomao in uno eodemque loco esse infossa, Pelopem autem illis postea exstruxisse sepulcrum (VI, 21, 9) quin etiam Myrtilo *κενοτάφιον* fecisse, ubi ad placandas eius manes inferias illi institueret (VI, 20, 17). Nec non Hippodamiam propter scelestas cum Pelope nuptias Junoni primam instituisse duodecim virginum cursus certamen (V, 16, 4), quam eandem postea, a Pelope Chrysippi necis accusatam, Mideam in urbem Argolicam fugisse. Eleos autem a deo iussos Hippodamiae ossa iterum Olympiam reportasse (VI, 20, 7). Et Pelopi quidem defuncto Herculem et delubrum esse dimensum, et immolasse, quae facere pergerent quotannis quicunque Eleorum magistratus obtinerent (V, 13, 12). Cum autem Graecorum Troiam proficiscentium vates pronuntiassent, nisi Herculis arcu Pelopisque ossibus arcessitis Priami urbem non posse expugnari, illa ex Elide in Asiam transportata esse, sed in reditu, nave ad Euboeam insulam naufragium faciente in mare esse demersa (V, 13. 4).

Quibus propositis argumentis Pausaniam fabulae partes undique collegisse apparet.

Deinde praeter Quintum Smyrnaeum, qui laudat Pelopis aurigandi artem currusque illius celeritatem (IV, 526 sq.) hic afferendus est Nonnus, quem totam fabulam cognitam habuisse videmus. Dicit enim in Dionysiacis de Pelope in Sipylo a patre dis mactato, cuius umerum a Cerere comesum Juppiter refecit eburneum, puerumque ad vitam revocavit (XVIII, 24 sq.). Cuius amore Neptunus correptus ad aureum Iovis domum adolescentem rapuit, postea autem ei

[1]) cf. E. Curtius, Peloponn. II. p. 433.

[2]) Ut multos alios, ita etiam hunc testem a Pausania fictum esse arbitratur A. Kalkmann, Paus. d. Perieget. Berl. 1886. p. 22.

ὤπασεν ἄβροχον ἅρμα, γαμοστόλον Ἱπποδαμείης (XI, 271 sq.).

Et Oenomaus eadem qua Lycurgus, Edonorum rex, crudelitate saeviens procorum, hasta occissorum, capita postibus affixit, filiae autem nuptias denegavit, donec Tantalides, super aequora curru advectus, cum rege certamen iniit. (XX, 152 sq.) Myrtilus enim, et misericordia et amore Hippodamiae impulsus,

μιμήλῳ τελέσας ἀπατήλιον ἄξονα κηρῷ

fecit ut Oenomaus vinceretur (XX 160 sq. XXXVII, 340 sq.).

Hunc autem aurigam inter sidera prope Teucrum positum esse exhibet Catast. l. XXXIII, v. 292 sq.

Recentissimum denique testimonium de Pelopis fabula litteris Graecis uberius conscriptum legimus in Eudociae quod fertur Violario (ed Villoison. Ven. 1781) p. 314 et p. 332, quod opus a falsario quodam, cui nomen fuisset Constantinus Palaeocapa medio saeculo XVI compilatum fuisse censent viri docti.[1] De cuius fontibus cum inquireret R. Nitzschius[2]) non vidit quae de Oenomao et de Pelope narrantur tantopere consentire cum scholiis ad Apollonii Rhodii Argonautica, ut dubium esse non possit quin compilator aut scholiastam aut eundem cum illo auctorem exscripserit. Narrat autem (p. 314) Oenomaum, Harpinae vel Eurythoae a Marte filium, oraculo permotum certamen illud instituisse. Post tredecim, vel ut alii traderent, quindecim procorum, quorum nomina afferuntur necem Hippodamiam ipsam, Pelopis amore inflammatam Myrtilum corrupisse. Et Oenomaum curru fracto necatum esse, Hippodamiam autem Pelopi nupsisse.

Quae deinde de Pelope tradit (p. 332) haec sunt: Pelops a Tantalo, cladem ab Ilo timente, cum magnis divitiis in Graeciam missus est, ex qua tum demum in patriam rediret, cum patrem vicisse audivisset. Quo factum esse, ut Pelops, Oenomao devicto, Hippodamiam in matrimonium duceret et terram occuparet, quam, cum antea Apia nominata esset, a se ipso nominaret Peloponnesum. Esse autem, qui hanc fabulam reicientes Pelopem, nave in Graeciam transvectum, cum rapta virgine aufugisse perhiberent, ex quo raptu tota fabula originem cepisset. His addita legitur fabula de Pelope a patre mactato. Quod sacrificium dis piissimum atque iustissimum visum est. Quare puerum eburneo umero ornatum ad vitam revocabant.[3]) Unde omnes Pelopidae in posterum umero fuerunt insignes.

---

[1]) cf. Hermes vol. XVII. p. 177—192.

[2]) cf. Quaestionum Eudocianarum capita quatuor. Diss. inaug. Lips. a. 1868.

[3]) cf. Schol. Venet. A. ad Il. II. v. 104.

Postremo commemorat Eudocia oraculum illud, ex quo ad expugnandam Troiam Graecis opus erat Pelopis ossibus.

Prolatis his certorum auctorum testimoniis gravioribus restant quae de Pelope in scholiis imprimis Homericis et Euripideis[1]) narrantur. Cum autem scholiastae ex iisdem compendiis mythologicis doctrinam suam repeterent, quibus recentiorum temporum scriptores omnes usos esse intelleximus, neque quas ipsorum cogitationes fabulae inculcant memoratu dignae nobis videantur, his nostro iure omissis quaeramus

II.

Fabula quomodo a scriptoribus Latinis sit tractata.

Romanorum primus, quantum scio, atque unus totam fabulam tractavit Lucius Accius. Cuius tragoediae quae inscribitur Oenomaus fragmenta Welckero maxime cum Sophoclis dramate comparari posse videbantur.[2]) Quae sententia, cum eam ex ipsis utriusque fragmentis minime confirmari monuerint Ribbeckius[3]) et Vogelius[4]), iam eo refutatur quod Sophoclis „Oenomaus" drama satyricum videtur fuisse, de eiusdem poetae „Hippodamia" autem certi quidquam statui omnino non potest. Sed etiam Euripidis vestigia Accius non ita diligenter, legisse videtur, ut alterius fragmentis ad restituendam vel Graecam vel Romanam tragoediam iure nobis uti liceat.[5]) Inquiramus autem paullo accuratius in Accii fragmenta, cum de nonnullis viros doctos non recte sensisse putemus.

Et primum quidem miror, Ribbeckium[6]) putare Oenomai uxorem in tragoediae prologo fabulam de oraculo et procorum certaminibus adhuc factis enarrasse. Nullis enim argumentis demonstrari potest, Steropen hanc egisse partem. Immo in eo consensisse mihi videtur Accii tragoedia cum Euripidis, quod in utraque primus Oenomaus in scaenam prodiit, et res adhuc gestas enarravit. Questus autem est hoc in prologo rex, sese, tot interfectis adolescentibus non tamen timoris expertem vivere, ne novus Hippodamiae pulchritudine alliceretur procus. Etenim exclamat (fr. VIII)[7])

---

[1]) cf. Schol. Or. v. 981. 990.

[2]) cf. l. l. p. 357 sq.

[3]) cf. l. l. p. 431 sq. p. 441.

[4]) l. l. p. 128.

[5]) cf. Teuffelium in indic. lect. Tubing. a. 1858. p. 26.

[6]) cf. l. l. p. 435. 436.

[7]) utor Ribbeckii Scaenic. Roman. poes. fragm. editione altera.

„Quemcumque institeram grummum aut praecisum iugum“ semper de novo cum alio procorum mihi erat decertandum!

De his deinde fr. VII versibus

Saxum id facit angustitatem, et sub eo saxo exuberans
Scatebra fluviae radit rupem

doctissimorum virorum sententiae valde differunt. Et Welckerus quidem[1]) hoc loco nisus exisse L. Accii tragoediam in enarranda Myrtili morte putavit, quem de Geraesti promunturii scopulis in fluctus detrusum fuisse post certamen per nuntium spectatoribus poeta enarrasset. Cui sententiae, cum primo obtutu planissima videatur esse, tamen graviora quaedam obstant. Dubito enim, num eo usque ab Accio producta fuerit fabula, ut in illa de Myrtili nece quamvis strictim posset agi. Accedit quod Romani ipsi longe aliam sententiam in illis versibus invenisse videntur. Papirius Paetus enim Ciceronem amicum his verbis Oenomai admonere studuit, ut ab adversariorum invidia ac machinationibus caveret (ep. ad fam. IX. 16,4. 16.7.).

Quare cum translate ab Accio verba illa sint dicta, neque de loco quo periit Myrtilus possint intellegi, Ribbeckius Oenomaum his versibus questum esse censet, omnes ipsi et invidere et insidiari, quemadmodum maris fluctus rupem undique arroderent, dum in mare concideret.[2]) Iam autem haec verba non regis colloquio cum Pelope vel cum alio quodam ut Ribbeckius, sed dramatis prologo inserere rectius duco.

His Oenomai lamentationibus finem fecisse videtur Pelops adveniens, cui de Pisae rege sciscitanti Oenomaus ipse respondit (fr. III.)

praesto etiam adsum.
Exprome quid fers: nam te longo itere cerno vadere.

Quae verba cum Welckerus a choro ad nuntium post certaminis exitum Pisam redeuntem dicta esse censeat[3]) errare mihi videtur. Quis enim credat, nuntium illum a choro suspenso et summa certaminis exspectatione intento tali modo posse interrogari? Ribbeckius autem de hoc loco iudicium ferre dubitavit.[4])

Sed videntur mihi haec verba ab Oenomao rege ad Pelopem dicta esse, quem propter barbarum imprimis vestitum ex alia terra longo itinere profectum esse rex coniecit.

[1]) cf. l. l. p. 356.
[2]) cf. Rom. trag. p. 437.
[3]) cf. l. l. p. 357.
[4]) cf. l. l. p. 440.

Respondit Pelops oratione ex qua servatum puto fr. IV

Coniugium Pisis petere, ad te itiner tendere.

Deinde, cum rex nequiquam Pelopi certamen dissuasisset colloquendi finem fecisse potest hoc fere versu (fr. IX.)

Atque hanc postremo solis usuram cape.

Ministris autem imperat, ut per urbem propter sacra, ante certamen periculosum facienda, silentium faciant, et a deorum numinibus prosperum eventum precibus efflagitent. (fr. X.)[1])

Interim Pelops cum Hippodamia, matre scilicet praesente, colloquitur. Et valde quidem se perterritum esse confitetur occisorum procorum capitibus super regiae domus valvas defixis. Etenim

Horrida honestitudo Europae principum primo ex loco (fr. V) eum admonet, ut qua possit ratione miseram eorum sortem effugiat.

Quare Myrtilum corrumpere instituunt.

Sacertotis verba fortasse sunt illa (fr. II)
atque ea coniectura auguro

cum ex hostiis cernat, certamen regi fore funestum.

Dicendum deinde est de fragmenti primi versibus his

Forte ante auroram, radiorum ardentum indicem
Cum [e] somno in segetem agrestis cornutos cient.
Ut rorulentas terras ferro rubidas
Proscindant glebas quae arvo ex molli excitent.[2])

Servata autem primi versus codicum scriptura „Fer te“ Welckerus (l. l. p. 355) illis verbis in certamine ipso Pelopem ab Hippodamia ad summam incitatum fuisse festinationem opinatur.

Sed etiam si ex primo fortasse versu festinationis adhortatio audiri possit, tamen qui sequuntur versus luculentissime demonstrant, poetam omnino non de celerrima deorum nuntio cogitasse, sed modo de eo diei tempore quo agricolae ad opus se accingere consueverunt. Quam temporis matutini significationem ita interpretatur Ribbeckius[3]) ut putet, illo tempore „cum somnia vera“ Oenomaum somniasse, vitae periculum sibi a filiae proco imminere, quod somnium in scaena

[1]) cf. l. l. p. 354.
[2]) Verba mendis inquinata, quas quomodo corrigere studuerint viri docti singulatim recenseas in Ribbeckii adnotatione critica. Et in primo versu codd. „Fer te“ iam Adrian. Turnebus (Advers. XXIX, 2) et Justus Lipsius (Ant. Lect. IV, 22) emendarunt in „Forte“. Tertii autem versus mutilatum corruptumque „fidas“ supplevi et emendavi in „rubidas“ quod mihi de glebarum colore, modo aratro proscissarum optime dici posse videtur.
[3]) cf. Rom. trag. p. 437.

narrare incipiat a versibus modo propositis. Sed valde dubito, num, si omnino Accius tale somnium commemoravit, quoniam rex sortem suam ex oraculo, non ex somnio, cui vix credidisset, compertam habuit, tam longus fuerit poeta in tempore somniandi definiendo.

Optime vero ad aliam rem accomodari posse mihi videntur illa verba. Narrat enim Pindarus de Pelope, cum a Neptuno peteret quadrigas haec (Ol. I, v. 43 sq.)

- - - ἐγγὺς ἐλθὼν πολιᾶς ἁλὸς οἶος ἐν ὄρφνᾳ
ἄπυεν βαρύκτοπον
Εὐτρίαιναν.

Ὄρφναν autem illam Pindari Accius matutinas fecit tenebras. Quae mea interpretatio confirmatur Philostrati verbis, qui in describenda imagine I, 30 de tenebris quibus artifex inducit Pelopem orantem ct Neptunum annuentem dicit *νύξ τε γάρ ἐπέχει, καὶ λαμπρύνεται τῷ ὤμῳ τὸ μειράκιον ὅσοι ἡ νὺξ τῷ ἑσπέρῳ.*

Quae cum ita sint, in Accii dramate a Pelopis fortasse comite quodam Pisatis quadrigarum e certamine reditum exspectantibus narratum fuisse arbitror, qua ratione iuvenis praestantissimas illas quibus provectus erat quadrigas adeptus esset. Ne autem putes, apud tragicos poetas fabulosis illis quadrigis propter Myrtili dolum non fuisse locum, et Euripides et Accius manifesto eas commemorant. Dicit enim Euripides in Or. v. 988 sq.

τὸ πτανὸν μὲν δίωγμα πώλων
τεθριπποβάμονι στόλῳ Πέλοψ ὅτε
πελάγεσι διεδίφρευσε, Μυρτίλου φόνον
δικὼν ἐς οἶδμα πόντου
λευκοκύμοσιν
πρὸς Γεραιστίαις
ποντίων σάλων
ἠόσιν ἁρματεύσας.

Accio autem Ribbeckius iure, ut equidem sentio, tribuit incertarum fabularum fr. incert. CV

rapiunt per undas currus suspensos equi.

Quod fragmentum eidem illi de Pelopis quadrigis narrationi adiungo.

Nec melius iudicasse mihi videntur viri docti de fr. IV verbis

Ego ut essem adfinis tibi, non ut te extinguerem
Tuam petii gnatam: numero [te] expurgat[1]) timor

[1]) Expurgat timor: cod. Festi; expurgasti: Nonius; expugnat timor coniecerunt Odofr. Muellerus et Ribbeckius.

Welckerus enim (l. l. 353) nec non Ribbeckius (l. l. p. 436) illa a Pelope, ante certamen cum Oenomao colloquente, ut socero persuadeat, responderi opinantur. Quae si poetae fuisset sententia scripsisset sine dubio: „Ego ut sim adfinis tibi, non ut te extinguam tuam peto gnatam", quandoquidem uterque certamen modo initurus erat. Neque ultima verba, quae Welckerus ita legi vult

„numero se expurgat timor"

recte intellexit, cum censeret, verbo „numero" significari procorum ter decies repetitam necem, qua enarranda Oenomaus nequiquam Lydum deterrere conatus esset, quare Pelops regi obiceret, quod metum suum illa narratione celare studeret.

Sed verbum „numero" adverbii et hic et alibi apud Romanorum poetas scaenicos habere vim cum ex fragmenti ipsius apud Festum usu, tum ex Ribbeckii adnotationum corrolario p. XV satis superque elucet, qui dubitari non posse dicit, quin hoc loco „numero" verbi significatio sit „cito."

Quare probabilior circumspicienda est fragmenti interpretatio.

Ut autem de hoc loco recte iudicemus, de totius dramatis exitu quaerendum est. Et in universum adstipulor Ribbeckio, res post certamen gestas ita proponenti (l. l. p. 436): Nuntius in scaenam rediens certaminis eventum enarrat. Revertit deinde Pelops victor cum Hippodamia. Oenomaus a ministris apportatur moribundus. Qui Pelopem Myrtilumque diris verbis summae perfidiae accusat. Jam Pelops verba: „Ego ut essem adfinis tibi" e. q. s. ut se excuset et Oenomai cladem dolere videatur regi respondit, ut equidem arbitror. Oenomaus autem ex illis verbis perspiciens Pelopis metum, ne ipse propter flagitium generum exsecretur obicit iuveni

numero [te] expurgat timor

i. e. iamiam, timore commotus te expurgare conaris, ne poenas luas sceleris tui nefarii. Moriens deinde et Myrtilum dolosum exsecratus, et Pelopi in posterum summa mala vaticinatus videtur esse.

Omnibus his propositis Oenomai fragmentis sententia eorum firmatur, qui pro certo diiudicari non posse contendunt, cuiusnam Graecorum drama Accius in componenda hac tragoedia secutus sit, etiamsi nonnunquam nobis cum Euripide consentire visus est.

Post Accium nequiquam requires scriptorem Latinum, qui totam de Pelope fabulam exhibeat. Quamquam enim interrogat Vergilius (Georg. III, v. 6 sq.)

Cui non dictus Hylas puer et Latonia Delos
Hippodameque humeroque Pelops insignis eburno
Acer equis?

tamen praetereundo modo et quasi fortuito ceteri fabulam commemorant, veluti Horatius (Od. I, 6, 8; 28, 7. Epod. 17, 65) et Ovidius qui (Metam. VI, 404 sq.) ea de causa Pelopem a dis ornatum fuisse eburneo umero narrat, quod priorem non reperissent, et (Ib. v. 363) de necatis procis Myrtiloque in mare deiecto profert exigua quaedam, omnibus nota, Statius deinde qui (Theb. I. v. 273 sq.). Junonem facit increpantem maritum, quod templum imponat nefastis illis locis ubi

- - - abruptis etiamnum inhumata procorum
Reliquiis trunca ora rigent.[1]

Restat, ut de Julii Hygini quae feruntur fabulis pauca dicamus. Quas quidem fabulas non ab ipso bibliothecae Palatinae praefecto conscriptas esse constat. Nam Genealogias ineunte demum altero post Chr. n. saeculo scriptas fuisse censuit Bursianus[2]), ex quo opere quem excerpsisset Fabularum librum grammaticus quidam exeuntis eiusdem saeculi, postea scholarum usu valde mutatum et inquinatum esse. Quae autem in Fabulis legimus partim ex aliorum compendiis, partim ex dramatum argumentis (ὑποθέσεις) hausta videntur.

Et fabula quidem 83 enarrat, Pelopem a Tantalo mactatum, eiusque brachium a Cerere consumptum esse, quae ipsa comesi loco eburneum adolescenti aptasset.

Fabula 84 autem eo a vulgari narratione differt, quod Oenomaum, Martis et Steropes filium[3]), in coniugio habuisse non Steropen sed Euareten memoriae tradit. Quod coniugis nomen corruptum legi suspicatus est Ribbeckius.[4]) Cum enim apud Tzetzam Hippodamiae mater nominetur Eurythoe, et hic fortasse corrigendum est nomen Euarete in Eurythoen.

Reliqua satis concinne proferuntur: responsum, Oenomao a deo datum, procorum certamina interitusque, Pelopis adventus, qui cum viderit procorum capita super valvas fixa, metu perculsus Myrtilum adit, eique regni dimidium pollicetur, ut Oenomai currum retineat. Qua mercede perductus Myrtilus clavos in rotas non conicit, ita ut in certamine equi Oenomai currum distrahant. Myrtilus autem, cum Pelope et Hippodamia domum rediens a victore periuro in mare Myrtoum, quod inde nomen cepit, praecipitatur.

Quae praeterea in codicibus leguntur verba: „Hippodamiam in patriam suam abduxit, quod Peloponnesum vocatur“

---

[1]) cf. l. IV, v. 590 sq.
[2]) cf. Fleckeisen, Annal. vol. 93, p. 768.
[3]) Eosdem parentes exhibet fab. 192; cf. Arat. Phaen. 263. Eratosth. c. 23. Schol. Il. 19, 486.
[4]) cf. Rom. trag. p. 431.

C. Langio[1]) non modo propter Peloponnesi nomen, genere neutro usurpatum, sed etiam propter „communem tragicorum sententiam“, Pelopem cum Hippodamia in Lydiam rediisse, eicienda videntur. Sed vellem indicasset vir doctus, ubinam exstet communis illa tragicorum sententia, cum nobis quidem de tali re nihil sit cognitum. Immo, scimus Pherecydem, cuius narrationes poetis tragicis notas fuisse nequaquam incredibile videtur, Pelopem in Peloponesum redeuntem fecisse.[2]) Quare audacius illum egisse puto, cum in hoc opere, quod omnino compilando et ortum et auctum est, hanc sententiam subditivam censeret propter solum Peloponnesi nomen, falso genere positum.

Deest autem in hac Hygini fabula, qua ratione Oenomaus interierit: utrum manus ipse sibi intulerit an a Pelope interfectus sit, neque commemorantur regis exsecrationes in perfidum aurigam inque Pelopem, quod utrumque etiam apud Pherecydem desideratur. Quibus si addis singularem illam de Pelopis reditu sententiam, Hyginum in hac fabula quam maxime cum Pherecyde consentire apparet.

III.

De fabulae origine.

Jam cum exposuerimus, quomodo fabula a scriptoribus sit tractata, a re non alienum videtur, unde fabula exorta sit inquirere. Qua in quaestione necesse erit, neglectis posteriorum temporum additamentis genuinam ac simplicem repetere fabulam, qualem p. 6 sq. exposuimus. Versatur autem fabula illa in Pelope, Neptuni et Mercurii auxilio Oenomai victore. Ab hac secernenda est de Pelope Tantali filio fabula, postea demum exorta (cf. p. 9).

Et de priore quidem fabula Graeci inter se dissensisse videntur. Fuerunt enim qui Pelopem Graeciae indigenam putarent (p. 7). Postquam autem Thucydides, scriptorum sententiis diligenter perpensis, Pelopem censuit magnis cum divitiis ex Asia ad Graecos, homines tum pauperes atque sordidos profectum, terrae nomen suum indidisse, regnumque sibi ac filiis suis parasse (I. c. 9.) apud plerosque vicit haec opinio.

Nostra autem aetate in easdem partes contrarias discedere videmus viros doctos.

---

[1]) De nexu inter C. Jul. Hygini opera mythologica et fabularum etc. Mogunt. a. 1865, p. 48.
[2]) cf. p. 25.

Post Voelckerum enim, qui primus accuratius de hac fabula disputavit [1]), de cuius sententia postea erit disserendum, H. D. Muellerus [2]) censuit Peloponneso antea fuisse nomen *Πελοπία* vel *Πελόπεια* vel *Πελόπη* [3]); horum autem nominum radicem esse *Πελ*, quam eandem exhiberet verbum *πόλις*, unde derivata exstarent nomina propria *Πέλλα*, *Πελλήνη*, *Πέλιννα*. A *Πελοπία* deinde herois nomen fictum esse *Πέλοψ*, cuius in honorem postea terrae nomen mutatum esset in *Πέλοπος νῆσος*.

Quam nominis ipsius etymologiam, etiamsi esset verissima [4]) ad explicandam fabulam minimum valere ipse intellexisse videtur vir doctus, cum, fabula ipsa omnino posthabita, acquiesceret nominis illius explicatione.

Simili ratione Ph. Buttmannus [5]) Peloponnesi fuisse gentem nomine *Πέλοπες*, qui originis suae auctorem praedicassent Pelopem quendam inde collegit, quod exstiterunt *Δόλοπες*, *Δρύοπες*, *Κέρκωπες*.

Et hi quidem fabulam Graeciae propriam, Pelopemque regem putant indigenam.[6]) Krahnerus [7]) autem, cum vidisset, Pelopem a plerisque habitum esse Lydum vel Phrygem, Niebuhrium [8]) secutus, Pelopis nomine indicari censuit nil nisi affinitatem gentium et Graeciam et Asiae oram incolentium. Hanc autem affinitatem fabulamque de Pelope in Graeciam advena inde repetiverunt viri docti [9]) quod ex Phrygia, quam populus Graecis cognatus habitasset, gens nobilis in Peloponnesum transmigrasset, et ab Alphei ripa dominationem suam propagasset. Quorum sententiam cum probet Prellerus [10]) totam de Pelope et puero et Hippodamiae proco fabulam, quam ab illis nimis neglectam intellexit, in ipsa Asia exortam esse putat. Ceterum etiam ab hoc homine doctissimo nequiquam quaeres de genuinae fabulae vi atque significatione, nisi quod recte sentire mihi videtur de Oenomai et Hippodamiae notione mythologica (l. l. p. 384).

---

[1]) Mythol. Japet. gentis. Giessen. a. 1824, p 75; p. 351 sq.
[2]) Mythol. gentium Graec. I, p. 95 sq.
[3]) cf. Steph. Byz. s. v. *Πελόπη: κώμη Λυδίας πρὸς τῇ Φρυγίᾳ.*
[4]) Equidem verbum *πόλις* a quo pendet tota illius explicatio potius ab radice *πλε* quae apparet in *πίμπλημι*, *πολύς* derivatum puto.
[5]) Mythologus II, p. 170
[6]) cf. etiam Voss, Antisymb. II, p. 432 sq.
[7]) Ersch et Gruber, sect. III, vol. 15, p. 291.
[8]) Opuscula minora I, p. 370.
[9]) cf. Welcker, Cycl. ep. II, p. 33 sq. Gerhard, act. acad. Berol. a. 1853, p. 449, not. 38. Curtius, Peloponn. I, p. 63. Hist. Graec. I[4], p. 84.
[10]) Mythol. Graec. II[3], p. 383 sq.

Restat qui primus atque solus fabulam ad principium atque fontem unde fluxit revocare studuit Voelckerus.

Qui, cum alii in explicandis fabulis plerumque sidera petant, hanc quoque fabulam ad terrestrem suam normam [1]) direxit. *Πέλοψ* enim verbum non differe dixit ab *Ἕλλοψ* vel *Σέλλοψ*, quod idem esset atque *Ἕλος*, *Ἕλος*, *Σέλλος*.[2]) *Ἕλος* (*Fέλος*, Vel-iae, vallis) autem atque *ἰλύς* non solum paludem, sed in universum terram umidam ideoque herbosam significare omnibus notum est. Hoc autem verbum Graecis ad terrarum nomina formanda aptum esse visum suadet *Ἐλλοπία* terra, quo nomine Dodonae regionem ad lacum Pambotidem vocatam esse scimus. A quo diversum haberi iam non potest nomen *Πελοπία* quod terram significat umore vel aqua abundantem. Optime autem talis significatio convenit Elidis orae, quam maris fluctibus antiquis illis temporibus etiam multo magis quam hodie inundatam fuisse conici licet.[3]) Et haec quidem illius regionis natura longe aliam subicere mihi videtur fabulae explicationem atque protulit Voelckerus, qui singulis fabulae partibus non satis seiunctis priora et posteriora, genuina et subdita eadem sua norma mensus est, ita ut Pelopi prorsus similem Proserpinae naturam tribueret (l. l. p. 351 sq.).

Qua in explicatione cum ille nobis errare videatur, quae sit nostra de genuinae fabulae vi sententia explanemus.

Achaei, cum Elida occupassent, nihil antiquius habere potuerunt, quam ut hanc *Πελοπίαν* sive paludem defenderent a fluctuum impetu eosque propellerent. Quod perficere non potuerunt nisi faventibus mari (Neptuno) atque ventis (Mercurio). Fluctus autem illi summa cum vi atque celeritate in terram provecti a saevo atque maligno inimico (Oenomao) [4]) et regi et agi videbantur. Jam quid mirum, fluctus quasi equos illis esse visos, „ventorum flatu creatos“ [5]) quibus Oeno-

---

[1]) cf. l. l. p 369: Der Grundcharacter aller pelasgischen und somit griechischen Mythologie ist agrarisch.
[2]) Spiritum quem vocant asperum in labialem litteram mutatum invenies praeterea in *Βῆλος* ex *ἕλος*, *Παλαμήδης* ex *Ἁλαμήδης* (navigandi peritius, cf. Hes. Theog. v. 255: *Ἁλιμήδη*) *Παλαίμων* ex *Ἁλαίμων*. Nomina, quae in *ος* et *οψ* exeunt affero e. g. *δόλος*: *δόλοψ*, *αἶθος*: *αἶθοψ*, *σκῶλος*: *σκόλοψ*.
[3]) cf. E. Curtius, Peloponn. II, p. 5.
[4]) cf. Preller, Mythol. Graec. II[3], p. 384. Voelcker, l. l. p. 361. *Οἰνόμαος* idem ac *Fοινόμαος*. Nomen sine dubio formatum de truci atque sinistro fluctuum aspectu (cf. *οἶνοψ πόντος*). Comparat Prellerus l. l. not. 3. Porphyrionem, maris gigantem. Nam et *πορφύρω* atque *πορφύρεος* de maris luscescente die sinistro atque turbido aspectu usurpatur.
[5]) Mythogr. I, 1, 21.

maus ille vehebatur? Et optime Oenomaum fecerunt Martis (caeli procellosi) et Harpinae (rapacis) vel Eurythoes (super vastum currentis) vel Steropes (fulgoris) filium, qui sacrificat Διὶ Ἀρείῳ[1]) arietem, tonitrus atque procellae ut puto symbolum. Cum autem Πελοπία illa terra, assiduo labore a fluctuum impetu munita, sedes atque fruges hominibus praeberet, eam Pelopi heroi dedicarunt, a quo deinde Oenomaum illum devictum esse praedicabant.

Haec fabulae primordia paulatim, ut fieri solet, aucta sunt. Etenim non modo deorum, sed etiam deae sibi conciliasse gratiam ferebatur Pelops, quam nominarunt Ἱπποδάμειαν (quae equos i. e. fluctus domat) Ἱπποδάμεια autem Veneris maritimae cognomen fuisse perhibetur[2]). Hanc autem Venerem vel potius Astartam a Phoenicibus tantopere cultam esse scimus, ut illi sine deae simulacro nunquam navibus proficiscerentur, et quocunque colonos deducebant, ibi Astartae cultum instituerent[3]). Et ab his quidem, quos illas regiones frequentasse constat Achaei Hippodamiam in fabulam recepisse videntur.

Postea autem hunc mythum quasi agere coeperunt duorum curruum certamine, quorum eum qui superior discessit Pelopi, alterum Oenomao tribuerunt. Et Hippodamia iam non dea, sed regis filia habita est, quam victoriae praemium accepit Pelops.

Et hactenus quidem in ipsa Peloponneso fabulam mihi videntur effinxisse Achaei. Cum autem in Lydiae oram emigrassent, fieri non potuit, quin de Pelope fabula et augeretur et immutaretur. Et primum quidem ut novas Asiae sedes in eiusdem herois illustrissimi tutelam possent commendare, illum cum nova nupta ex Graecia in Asiam rediisse finxerunt. Praeterea autem his regionibus altera ac posterior pars exstitit fabulae, de Pelope Tantali, laudatissimi Lydiae regis filio, dis sacrificato. De qua fabula, cum ad genuinam Pelopis notionem non attinere mihi videatur, illis, quae iam antea exposui (pag. 16) nihil addendum esse puto.

[1]) cf. J. F. Lauer, System d. griech. Mythol. Berl. 1853, p. 212: „An das Aufsteigen und Aneinanderstossen der Wolcken knüpft sich die Vorstellung von Zeus dem Krieger, Ἄρειος. Welcker, Trilog. Aeschyl. adnot. 258.

[2]) cf. Preller, l. l. I, p. 282, not. 5

[3]) cf. Boeckh, Quaest. metrol. p. 44.

Otto Kramer de vita sua.

Natus sum Franciscus Henricus Otto Kramer die XXII mensis Septembris a. h. s. LX Harburgi in urbe ad Albim flumen sita, patre Alberto, matre Margaretha e gente Meyer, quibus mihi superstitibus gaudeo. Fidem confiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium frequentavi Haldenslebiae Novae, deinde Magdeburgi quod floruit rectore Briegleb, unde maturitatis testimonium adeptus autumno anni h. s. LXXXI Berolinum me contuli, ut studiis operam darem philologicis et theodiscis, quae ut continuarem et absolverem quater sex mensibus post adii Almam Matrem Halensem. Atque scholas audivi virorum doctissimorum Ernesti Curtii, Droyseni, Ebbinghusii, Huebneri, Kieperti, Kirchhoffii, Muellenhoffii, Paulseni, Roedigeri, Schereri, Schmidtii, Henrici de Treitschke, Vahleni, Wattenbachii, Zelleri Berolinensium, Burdachii, Duemmleri, Erdmanni, Glogavii, Haymii, Heydemanni, Hilleri, Keilii, Krohnii Halensium. Exercitationibus autem ut interessem archaeologicis Ernestus Curtius et Heydemannus, philologicis Hillerus et Vahlenus, theodiscis Burdachius, Muellenhoffius, Schererus benigne mihi permiserunt.

Quibus viris omnibus, ut optime meriti sunt de studiis meis gratiam habeo.